DE

PACATI PANEGYRICO

AD

PLINIANI EXEMPLVM FORMATO

DISSERVIT

AC DE

PANEGYRICIS VETERIBVS


PAVCA PRAEFATVS EST

CAROLVS FRIDERICVS MVLLERVS

A. M. ET BIBLIOTH. ACADEM. CVST.

K

Müllerus



WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A TYPIS.

1785.

SERENISSIMI RRINCIPIS

ELECTORIS SAXONIAE

IN

SENATV ECCLESIASTICO SVPREMO

PRAESIDI

PROPRAESIDI

ET

CONSILIARIIS

EXCELLENTISSIMIS PERILLVSTRIBVS

GENEROSISSIMIS SVMME REVERENDIS

AMPLISSIMISQVE

DOMINIS AC PATRONIS

INDVLGENTISSIMIS

HOC

SVMMAE PIETATIS GRATISSIMIQVE ANIMI

MONVMENTVM

DEMISSISSIME CONSECRAVIT

AVCTOR.



DE

PACATI PANEGYRICO AD PLINIANI EXEMPLVM FORMATO.

De Panegyricis veteribus.

uanquam, in veterum ſcriptis iuuentuti ad lectitandum proponendis, in primis, vt illorum dicendi genus purum et probabile ſit, videndum eſt; neque improbanda venit eorum ſollertia, qui, hac ratione compulſi, auctorum aetates, partim ad poetarum fabulas reſpicientes, cum diuerſis bonitate ac nobilitate metallis, partim varium roboris et imbecillitatis modum ſpectantes, cum aetatis humanae gradibus comparauere: tamen, quum ex aere magna vis auri coquendo nonnumquam eliciatur, et ipſum Cyprium, quod ſplendoris deeſt, vſus varietate compenſet; non poſſum, quin eorum conſilium plurimi faciam, qui, ſcholarum magiſtri, ad ſtilum diſcipulorum formandum antiquiores, ad ingenium iudiciumque acuendum reliquos etiam ſcriptores adhibent. Quae ratio, certe non temeraria, tum ſit pacto quodam neceſſaria, cum hoc vel illud ſcribendi genus auctorum probatorum penuria laborat. Premit autem iſta bonorum



norum exemplorum inopia praecipue genus illud eloquentiae, quod in Principum aliorumque magnorum virorum sollemni laudatione versatur. Nam, praeter paucas Ciceronis orationes et Plinii panegyricum, nihil admodum hoc in genere veterum latinorum scriptorum superest, quod masculae quidem eloquentiae nomine dignum sit. Quum vero multis in locis, praesertim in regnis, magnifice copioseque laudandi quaedam sit necessitas: non imperite quidam artis dicendi magistri vsque ad quartum a Christo nato saeculum descenderunt, ab iis oratoribus exempla facundiae petentes, qui inde a tempore Diocletiani et Maximiani ad Magnum vsque Theodosium in dicendo regnarunt. Quorum quidem vnum vel alterum recte, qui scholis praesunt, suae disciplinae alumnis, latinitati operam nauantibus, ita solent notare:

Hic niger est: hunc tu, Romane, caueto.

Sed quemadmodum artis medendi tironibus etiam venena tractare licet, si quis medicinae peritus ipsorum conatus moderetur: ita nihil est, quod ingenio iuuenili ab horridulis Eumeniorum et Ausoniorum panegyricis metuas, modo iudicio subacto diligentisque praeceptoris institutione munitus ad legendos et examinandos eos accedas. At historico si quis ab his, quorum modo mentionem feci, plus vtilitatis sperandum esse contenderit, quam sermonis elegantiae studioso: quamuis non valde repugnem; reliquis tamen fere omnibus maculas, potissimum ab iis adspersas, qui numquam eos legerunt, maximam saltem partem abstersas; vehementer cupio. Sed hanc operam aliis relinquo, non nisi pauca de his, tamquam aliud agendo, moniturus, quo citius ad rem propositam venire possim. Romanorum res publica postquam erat nulla, cum antiqua ciuium grauitate sermonis quoque maiestas in adulatoriam ac paene seruilem formam degenerabat. Verum

a) Ita Eumenius in paneg. Constantio dicto, c. 14. magnificum illud Caesaris, *Caesarem vehis*, non inscite in rem suam vertit: *Quis enim se quamlibet iniquo mari non auderet credere, te nauigante? Omnium, vt dicitur, accepto nuntio nauigationis tuae, vna vox et hortatio fuit: Quid dubitamus? quid moramur? Ipse iam soluit, iam prouehitur, iam fortasse peruenit. Experiamur omnia, per quoscunque fluctus eamus. Quid est, quod timere possimus? Caesarem sequimur.* In pari periculo trepidantes comites suos Henrica, Britannorum regina, his paucis erigebat: *Reginae non submerguntur.* In quibus omnibus altitudinem quandam inesse, nemo negabit.

Verum tamen Plinius in Traiano laudando veteris illius libertatis aliquid retinebat, licet eam sublimitatem, qua minime carebat ipsius oratio, nimiis frangeret argutiis. Hunc sequuti ceteri Augustorum laudatores eo maiorem dicendi gloriam nacti sunt, quo propius ad illius ingenium accederent. Quo factum est, vt hi, quos minorum gentium oratores appellare posse videor, illius indolem orationis exprimere tantum non omnes conarentur. Enim vero quum eorum nemo in Italia natus videatur, quod in illo natiuum adparet, id in his adscitum deprehenditur. Hoc ipsi profitentur. Ita enim in panegyrici principio ille, qui coram Constantino, a Maxentii clade reuerso, Treueris dixit: *Neque enim ignoro, quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis. Si quidem latine et diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum; et si quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiae imitatio nostra deriuat.* Hanc ingenuam professionem, etsi aliquanto concinnius, repetiit Pacatus. Tenendum enim est, illos non Plinium solum, sed subinde alios optimorum antiquitatis auctorum [a]), in primis eloquentiae Romanae principem, Ciceronem [b]), etiam poëtas, et saepe se inuicem, imitatos esse. Pacatus igitur allatis aliis timoris sui causis hanc addit: *Huc accedit Senatus*, inquit, *cui quum difficile sit, pro amore, quo in te praeditus est, de te satisfieri; tum difficilius, pro ingenita atque hereditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc et incultum transalpini sermonis horrorem; praesertim, quum absurdae sinistraeque iactantiae possit videri, his ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros vsque vsus deriuatio sera traduxit.* Ingenio quidem nullus eorum caret: est autem illud vel iudicio destitutum, vel Augustei saeculi elegantia minus excultum, vel, cuius luxuries stilo non satis depasta sit, vel exercitatione vmbratili nimis coarctatum, vel corru-

b) Quod interdum adeo puerili modo fecerunt, vt illum exscripsisse potius, quam expressisse, deprehendantur. Vnum hic Mamertini minoris furtum exempli causa indicabo. Vtitur iste sub finem orationis coram Iuliano habitae his verbis: *In referenda autem gratia, Sanctissime Imperator; hoc tibi polliceor, semperque praestabo, mihi neque in suggerendis consiliis veritatem, neque in adeundis, si res poposcerit, periculis animum, neque in sententia simpliciter ferenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro re publica teque laedendis libertatem, neque in laboribus perferendis industriam, neque in augendis imperii tui commodis grati animi beneuolentiam defuturam.* Quis vel puerorum, quo ista pertineant, nescit?



corruptum seruitute. Hinc illa nimium in modum superlata[c]), et durius translata[d]), hinc personarum insolentius fictarum inductiones[e]), hinc illa subtilitas atque minutae argutiae, f) et genus dicendi nouum atque insolitum, g) et adulatio seruilis, h) et, in verborum pompa, humilis

c) Haud scio, an huius generis illud sit Eumenii, (c. 22.) quo Constantini laudes ob vnam alteramue restauratam vrbem ita celebrat: *Nec magis Ioui Iunonique recubantibus nouos flores terra submisit, quam circa tua, Constantine, vestigia vrbes et templa consurgunt.* Magnum ista sonant, fateor: sed longe, ni fallor, felicius Homericum illud Iliad. ξ. 347. apud Gallos Racanus expressit, hoc dulcissimo, in Mariae Mediceae honorem facto, carmine:

Paissez, cheres brebis, jouissez de la joye,
Que le Ciel vous envoye:
A la fin sa clémence a pitié de nos pleurs.
Allez dans la campagne, allez dans la prairie;
N' épargnez point les fleurs:
Il en revient assez sous les pas de Marie.

Poëticam enim dictionem continuo quiuis agnoscit, et ad rem veritatemque traducit; quum ille contra orator vrbes ac templa sua proprie velit intelligi.

d) Petamus exemplum aliquod ab Ausonio, qui (paneg. Gratiano dicto, c. 8. pr.) *Tua*, inquit, *haec verba sunt a te mihi scripta: soluere te, quod debeas, et adhuc debere, quod solueris. O mentis aureae dictum bracteatum!* Has delicias, atque adeo ineptias, apud nostrates Lohensteinius aliquis non abiiciat.

e) Ita orationem consulatui suo tribuit Ausonius (c. 5. pr.) *Consulatus hic meus orat atque obsecrat, vt obnoxiam tibi vni sinas fieri eius dignitatem, quem omnibus praetulisti.*

f) V. c. Mamertinus maior (paneg. II. c. 8. extr.) hoc modo argutatur: *Quum nihil sit animo velocius, vos, quorum igneae immortalesque mentes minime sentiunt corporis moras, peruecti estis ad nos, mutui desiderii celeritate.*

g) Quo pertinent illae ridiculae palaestramque olentes Imperatorum adpellationes. Maximiani modestiam significaturus, eum sic appellat incertus Auctor: (epithal. pr.) *Maximiane, velis, nolis, semper Auguste.* Nec minus huius collegam singulari titulo insignit. Addit enim: *et Constantine, oriens Imperator.* Ausonius autem Gratianum sic alloquitur: *Imperator doctissime*, et, nomine ludens, (c. 10.) *Gratissime Imperator.* Sane parum digna sunt illa Principis maiestate. Sed tota hominis oratio ludi magistrum sentit. Inde laudes Imperatoris a recte vsurpatis formulis sollemnibus, (c. 19. et 20.) nec non a profectibus ab eo in ludo et palaestra factis (c. 27.) petitae. C. 15. suas opes dicit *angustas, verum tamen libris et liberis dilatatas.* Audire videmur non tam Consulem Populi Romani, quam aliquem apud nos tenuis pastorem loci.

h) Haec ipsa vitia non solum in meliorem partem interpretatur, sed etiam laudat et in virtutes, mutatis nominibus, vertit. Sic Eumenius crudelitatem illam

milis oratio. [i]) Nec tamen iſtis panegyricis ſuae deſunt virtutes: quarum in gratiam ſaeculi naeuos illis condonari par eſt. Abundant enim deſcriptionibus, bellorum ac praeliorum inprimis, quamuis longioribus, elegantibus tamen: abundant ſententiis vere ſublimibus: abundant acumine: referti ſunt antiquis moribus et fabulis ex Homero aliisque poëtis, tamquam e ſacris fontibus hauſtis: gaudent multarum rerum feliciter expreſſa ſimilitudine: floribus nitent: luminibus ſplendent: ipſam denique ſonantiorum illam Virgiliorum dictionem, ſi a numero diſcedas, germanam, non raro nobis repraeſentant. Quae omnia, etiamſi modum excedunt nonnumquam, ad illiciendum certe captandumque lectoris animum vim habent praecipuam. Mihi quidem omnes identidem, nec ſine voluptate, perlegenti praeter ceteros Mamertinus minor et Nazarius arriſerunt, maxime vero Pacatus. Hunc omnes ferme, vel Plinii, vel reliquorum panegyricorum, editores vt illius imitatorem tamquam certatim laudarunt. Longum eſt omnium adferre teſtimonia; quare non niſi Dominicum Bau-

illam Conſtantini, qua Aſcaricum et Regaiſum, Francorum reges, in theatrum productos, belluis dilaniandos obiecerat, vt fortitudinem, extollit: (c. 10.) *Te vero, Conſtantine, quantumlibet oderint hoſtes, dum perhorreſcant.* Quaſi Caligulam aliquem alloquatur. *Haec eſt enim vera virtus, vt non ament, et quieſcant. Cautior licet ſit, qui deuinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen eſt, qui calcat iratos.* Pluribus deinde ſaeuitiae laudatis exemplis, exclamat: *Hoc eſt, Imperator, fretum eſſe virtute ſua atque fortuna; hoc eſt, non pacem emere parcendo, ſed victoriam quaerere prouocando.* Apage ſis cum tali laudatore.

i) Quam abiecte illis temporibus ipſi de ſe Conſules ſenſerint, et quanta Principes veneratione, tamquam ſerui dominos, proſequuti ſint, blando eorum alloquio ſe beatos cenſentes, in primis ex Mamertini minoris et Auſonii panegyricis adparet. Quorum ille poſtquam admodum ſenex voti tandem vnici et ſummi damnatus eſt, a Iuliano Auguſto Conſul deſignatus et creatus, inſuper ab Imperatore Conſulis Ampliſſimi nomine adpellatus: tantum voluptatis ex hoc ſibi habito capit honore, vt ſe digito caelum attingere putet, ac prae gaudio fere tripudiet. Non plane ingratum erit fortaſſe, ipſa gloriabundi verba ſi adſcripſero. Exponit igitur Iuliani humanitatem hoc modo: (c. 28.) *Ego et collega meus, ne quid maximus Imperator propenſius humanitatis ſtudio faceret, verebamur. Itaque matutino crepuſculo palatium petimus. Aduentare nos, Principi, forte tum danti operam ſalutatoribus, nuntiatur. Statim e ſolio, tamquam praeceptus, exſiluit, vultu trepido atque ſatagente, qualis mens mea eſſe potuiſſet, ſi Principi*



Baudium [k]), Iuſtum Lipſium [l]), Ioannem Schefferum [m]), Iacobum de la Baune [n]), C. G. Schwarzium [o]), et Cel. Arntzenium [p]), nomino. In primis poeticum eius ingenium et eloquentiam enitentem complures, iique eruditiſſimi, viri amarunt, quorum ſententias honorificas anno ſuperiori Cl. Iaegerus, Profeſſor Altorfinus, in ſuis philologicis in hunc ipſum Pacati panegyricum Obſeruationibus, his verbis quodammodo complexus eſt: *Inter illos* (Panegyriſtas minores) *caput mirifice extulit Lat. Pacatus Drepanius, tempore quidem poſtremus, ſed eloquentiae praeſtantia primus, cuius orationem omnium iſtius aeui ſcriptorum numeroſiſſimam, cultiſſimam, ingenioſiſſimam eſſe, et ad maieſtatem Ciceronis Pliniique nitorem accedere, haud ſpernendi harum rerum arbitri iudicauerunt.* Cui vero dubium eſt, hunc oratorem, quem raram aut fabuloſam ſaeculi ſui auem dicere poſſis, tantam dicendi gloriam non ingenio ſolum feliciori, quanquam et huic, ſed maxime veterum, nominatim Plinii

cipi ſerus occurrerem. Aegre remotis populi, qui nos praegrediebatur, agminibus, vt quam longiſſime nobis obuiam procederet, laborauit. Illic, proh, ſancta diuinitas! gaudentibus cunctis, quo ore? qua voce? inquit: Aue, Conſul Ampliſſime! Tum pluribus ornamentis, quae Princeps in ipſum contuliſſet, plebisque gratulationibus commemoratis, ita pergit: (c. 29. med.) *Omnem modeſtiam populi, omnem verecundiam tui gaudia effraena ſuperauerant. Aue, Conſul Ampliſſime! Aueo plane, Imperator, et auebo. Neque enim euentus eſſe poteſt optati huius ambiguus; quum is auere iubeat, qui iam fecit, vt auerem. Conſul Ampliſſime! Sum plane et Conſul, et ampliſſimus Conſul. Quis enim me fuit amplior Conſul? quem ſublimat et illuſtrat Conſulatus, quem tribuiſti; Amplitudo, quam tribuis.* Poſtremo ſuum et collegae ſui cum Bruti atque Valerii conſulatu comparat, nec minorem ſuum aeſtimat.

k) Vid. edit. Plinii Lugd. Bat. 1675. paſſim.

l) Eiusd. edit. plurimis locis, maxime p. 117 *Imitatur Pacatus*, inquit, *in Theodoſiana laude, vt plerosque eminentiores, ſemel monitum eſto, locos: — — — et plura, ſodes, adde, vel cum Plinianis argutiis et venere certantia.*

m) In editione ſua Pacati.

n) Veterum Panegyricorum editorem.

o) In praeſtantiſſima Pliniani panegyrici Editione, p. 40. et 196. *Latinus Pacatus imitator Plinii.* p. 89. *Credas Latin. Pacatum habuiſſe Plinium in manibus, cum cap. 27. ſimilia ſcriberet.* Porro, p. 437. *Luculentum antiquae imitationis exemplum oculis ſubiicitur. Sicut enim Latinus Pacatus panegyricum Plinii aliis in locis imitatus eſt; ita cum primis huius loci imitatio elucet.*

p) Cuius optima Pacati editio prodiit Amſtelodami, 1753.

Plinii, acceptam imitationi retulisse? Quae quum propemodum alternis versibus oculos legentium feriat, auctoremque sibi elegerit eum, quo familiariter vti a puero mihi contigit; quem eximia inde caritate, non dilexi, sed vi quadam naturae impulsus amaui; cuius denique stilo suum quis non, magna ex parte, similem exercitatione efficere cupiat? quae imitatio, inquam, Pacati quum ita suum ἀρχέτυπον efformauerit, vt cum virtutibus ipsa illius vitia fecerit sua: nemo, credo, me reprehendet, quod e non poenitenda imitatorum copia hunc potissimum mihi sumserim, cuius exemplo tirones, (si qui tamen ista legerint,) subinde admonere cuperem, quid scriptores antiquos imitaturis, genus dicendi si spectes, amplectendum fugiendumue sit. Labor tenuis, non infitior: etiam improbus, non recuso: modo ne sit irritus. Equidem iam diu est, quod huius generis quantumuis grammaticas scriptiunculas non superuacaneas existimaui. Veteres enim quotus quisque puerorum aut lectitat, aut intelligit, aut illorum elegantiam sapit, aut, vt ista concedamus omnia, imitatione, saltem non praua, exprimere vel tanti putat, vel conatur? Passim quidem in iuuenilibus eruditionis latinae speciminibus antiquitatis formulae adparent; sed alieno loco, sed nudae, veterumque rebus, ingenio, vi, prudentia modestiaque destitutae. Quare ex Pacato ipso illo satis antiquo antiquos imitari discamus. Proinde vtriusque Panegyrici formam et similitudinem curiosius intueamur. Poterat istud quidem ita fieri, vt, quomodo illorum vterque res a Principe suo gestas collegerit, inuentaque ad amplissimam laudem ordine disposuerit, animaduerteremus. Quoniam vero Pacatus Plinii, qui laudes etiam Augustarum apte intexuerat, modum disponendi parum sequutus est, quum Theodosii victoria de Maximo tyranno relata Gallorumque, ciuium suorum, necessitas longe alium dicendi ordinem diuersamque laudandi viam et rationem exigerent: plures orationes inueniuntur, ad multo maiorem Plinianae similitudinem hac in re accedentes; e quibus exempli caussa Mamertini minoris gratiarum actionem sollemnem duntaxat memorare liber. Nobis autem solam, et panegyricorum naturam, et vtriusque scriptoris indolem, sequi propositum est; quo fiet, vt hanc respicientes et ea modo obseruantes, quae sua sponte se nobis obtulerunt, non adferamus, nisi ea, quae his duumuiris inter se communia, caeterum ex magna parte propria sint, omniaque sanae rationis ponderibus examinare nitamur. Atque, vt

 breuibus



breuibus orationis panegyricae naturam generatim complectamur, res omnis ad Principis laudes redit, quas orator in caelum tollendas ita suscipit, vt eos, qui audiunt, non solum in illius, verum etiam in suimetipsius, magnam admirationem traducat. Quod quidem nulla re magis, quam orationis altitudine, efficitur. Hac enim audientium animi ad Principis magnitudinem cum veneratione summa cogitandam toti rapiuntur, et tamquam in sublimius euecti sibimetipsi solito maiores videntur: cuius mirificae rei non possunt, quin maximam gratiam diuinae oratoris arti habeant, eamque suspiciant. Quum vero elationi tantae, nisi modus adhibeatur, non sint pares, et ipsa rerum amplitudo consideratione iusto longiore quodammodo minuatur: quibusdam deliciis opus est, quibus iidem subinde laxentur et reficiantur. Cui rei numerus et verborum circuitus, in primis autem insignia quaedam orationis egregie inseruiunt. Horum nihil Secundus noster omittens, nescio an ipsum Ciceronem dicendi aequiparasset gloria, modo sibi a nimiis argutiis temperasset. Verum enim vero nimio delectandi studio communique sui temporis vitio abreptus imitatorem suum in eundem traxit errorem. Accedit, quod, exaggerato semel sermone floribusque coaceruatis, etiam hoc in genere modum excessit, vt saepius poëtam numero solutum legere putes. Quod poëticum dicendi genus, aetati suae pari modo sollemne, ita non recusauit Pacatus, vt, suapte Gallus ingenio ad has dulcedines latus, parum haberet, eas cupide persequi, nisi superasset. Est igitur vterque sublimis, est floridus, et fere poëticus, et acutus. Haec in vtriuslibet oratione dominantur. In praesenti sublimitatem, cum Plinii, tum eius imitatoris, nec tamen omnem, considerabimus. Nam quum ea duplicis omnino generis commode possit statui, quorum alterum in rebus, hoc est Principis virtutibus, alterum in variis figuris et orationis luminibus cernatur: in illo priori exponendo illustrandoque haec dissertatio versabitur.



DE

DE ALTITVDINE RERVM
SIVE
DE LAVDIBVS THEODOSII AD INSTAR LAVDVM TRAIANI CONFORMATIS.

§. I.

Principis laudatur dignitas corporis.

Reuocamus autem ad rerum altitudinem, quidquid omnino magnum et admirabile vel eſt, vel ſaltem vulgo videtur q), praeſertim ab oratore amplificatum. Cuius quidem generis multa ſapientibus contemnenda potius, quam magna videri, aut ſublimia, panegyriſtae nihil refert. Sunt autem quidam huius elationis in laudibus Principum gradus. Quis enim formam vel caeſariem Caeſaris, eiusque humanitatem, clementiam, fortitudinem, pari veneratione proſequatur? Vtraeque dotes laudandae ac ſuſpiciendae, minus tamen illae, ſunt. Gradatim igitur adſcendamus, initium ab infima illa principalium laudum, inſigni ſpecie ac dignitate virili, capientes. Quam in Traiano ſuo conſpicuam ſic praedicat Plinius: (cap. 4.) *Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, et dignitas oris, ad hoc aetatis indeflexa maturitas, quodam munere Deum feſtinatis ſenectutis inſignibus, ad augendam maieſtatem ornata caeſaries: nonne longe lateque Principem oſtentant?* Quam ſplendide! Quare Pacatum ad imitandum incenderunt, ac propemodum, ſolis ferme canis omiſſis, ad exſcribendum. Poſtquam enim patrem Theodoſii laude ſimili extulerat, (cap. 6.) *qui hunc Romani faſtigii apicem non ſolum fortitudine atque ſapientia, ſed decore etiam corporis et dignitate potuerit aequare!* deinceps ad filium Auguſtum pergit: *Velut tua haec forma venerabilis, quam fortunae ſuae par eſt! quam longe lateque conſpicua commendat imperium! vt plane in ambiguo ſit, vtrumne te magis noſtris mentibus virtus, an obtutibus vultus inſinuet.* Augurare tu, qui iſta legis, ſi neſcis; augurare, inquam ex his initiis, quam non ſolum plena manu Gallus noſter exemplar ſuum, oratione procedente, in rem ſuam conuerſurus, ſed etiam, quam, ingenio luxu-

q) Idem cenſet Bohurſius in elegantiſſimis *de bene cogitandi ratione* dialogis.



luxuriante, copiam de ſuo fundo additurus ſit. Atque ne omnia quidem huc transpoſui. Locus ipſe inſpiciatur. Notandum hic tamen venit, eodem, quo Plinium, modo hunc etiam aliquod ἐπιφώνημα ſubiungere. Ille ſic: (c. 5. pr.) *Talem eſſe oportuit, quem* caet. Hic leui mutatione, *Illud dicam, — — talem eſſe debere, qui,* e. ſ. p.

§. II.

Virtus bellica.

Corporis dignitate animi praeſtat magnitudo; quae praecipue rebus fortiter gerendis conſpicua fit in Principe; vt ipſum eius nomen, quod ſubiecti venerantur, barbarae gentes perhorreſcant. Qualem Traiani ſui famam ita Plinius celebrat: (c. 12. pr.) *At nunc rediit omnibus terror et metus, et votum imperata faciendi.* Et c. 17. med. *Nec tibi opima defuerint, ſi quis regum venire in manus audeat; nec modo telorum tuorum, ſed etiam oculorum minarumque coniectum, toto campo, totoque exercitu oppoſito, perhorreſcat.* Simili modo Pacatus Theodoſium alloquitur: (c. 22.) *cum — — — ſi qui forte ſunt barbarorum, qui nondum virtutis tuae fulmen exceperint, nominis terrore perculſi et velut adflati, quieſcant.* Quo pertinent etiam illa de victo Maximo: (c. 30. extr.) *Et te quidem, Imperator Auguſte, ad aſſerendam rem publicam vſurpandamque victoriam, ſuffeciſſet in bella vel ſolum venire.* Et, (c. 31. pr.) *An ſuſtinere te coram, et ſolum oculorum tuorum ferre coniectum ille — — — potuiſſet?*

§. III.

Remotiſſimis gentibus formidoloſa.

Addit illis (c. 22.) Drepanius: *Tua enim, Imperator, auſpicia non hae tantum gentes tremunt, quas ab orbe noſtro ſiluarum interualla, vel flumina monteſque, diſtinguunt, ſed quas aeternis ardoribus inacceſſas, aut continua hieme ſeparatas, aut interfuſis aequoribus abiunctas natura diſterminat. Non oceano Indus, non frigore Boſphoranus, non Arabs medio ſole ſecurus eſt; et quo vix peruenerat nomen ante Romanum, accedit imperium.* Quae cum ſcriberet, ſine dubio illa Plinii loca reſpexit, vbi pariter barbaros caeli ſui terrarumque natura ſatis munitos negat. Audiamus ipſum Traiani laudatorem: (c.12.) *An audeant,* (queri aut hiſcere hoſtes, ſcil.) *qui ſciant, te adſediſſe ferociſſimis populis, eo ipſo tempore, quod amiciſſimum*

illis,

illis, difficillimum nobis: cum Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat: cum ferae gentes non telis magis, quam suo caelo, suo sidere, armantur? Sed vbi in proximo tu, non secus, ac si mutatae temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur; nostra agmina percursare ripas, et aliena occasione, si permitteres, vti, vltroque hiemem suam barbaris inferre gaudebant. (c. 16. extr.) *Quod si quis barbarus rex eo insolentiae furorisque processerit, vt iram tuam indignationemque mereatur, nae ille, siue interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu praecipiti monte defenditur, omnia haec tam prona tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, vt, subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque sibi non classes nostras, sed terras ipsas, arbitretur.* Hoc loco Tulliana quaedam eloquentia sonat, quam Pacatus, cum suis anaphoris, haud adsequitur.

§. IV.

Ipsis quoque Parthis et Persis.

Inter eos populos, quibus subigendis Romanorum arma non suffecerunt, eminent Parthi. Quos tamen a Traiano adhuc puero in fugam datos esse, Plinius gloriatur: (c. 14. pr.) *Nonne incunabula haec tibi, Caesar, et rudimenta, cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres? — — — cum ferociam superbiamque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes?* Illorum vestigia persequentes Persae animos similes ostenderunt; nec dissimilia sunt, quae de his Pacatus dicit. Postquam enim in genere his verbis, mutuo quidem ex alio sumtis fere cunctis, vsus est: (c. 22.) *Quaecunque natio barbarorum robore, ferocia, numero, grauis vmquam nobis fuit, aut boni consulit, vt quiescat, aut lactatur, quasi amica, si seruiat:* tum vero nominatim pergit. *Persis ipsa*, inquit, *reipublicae nostrae retro aemula et multis Romanorum ducum famosa funeribus, quidquid vnquam in Principes nostros inclementius fecit, excusat obsequio.* Iam rursus alium aperte imitatur: *Denique ipse ille rex eius, dedignatus antea confiteri hominem*, (tanta eius fuerat *ferocia* et *superbia*), *iam fatetur timorem, et in his te colit templis, in quibus colitur: tum, legatione mittenda, gemmis sericoque praebendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua esseda suggerendis; etsi adhuc nomine est foederatus, iam tamen tuis cultibus tributarius est.* Scilicet horum pars est ex incerti auctoris Epithalamio, pars e Mamertini maioris Panegyrico, quem hic Maximiano Augusto dixit, desumta;



ta; qui ſic habet: (c. 10. extr.) *Hoc oodem modo rex ille Perſarum, numquam ſe ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo,* (Diocletiano) *ſupplicat, tutumque, ſi ingredi ille dignaretur, regnum ſuum pandit. Offert interim varia miracula, eximiae pulchritudinis feras mittit, amicitiae nomen impetrare contentus, promeretur obſequio.* Haec de Narſe Mamertinus. Epithalamius porro Maximiano et Conſtantino dictus, qui, quod etiam Iacobus de la Baune teſtatur, noſtro non huius vnius loci vſuram dedit, ille vero ita: (c. 8.) *Huius cum fratre rurſus ac ſaepius expeditionibus domita Germania aut boni conſulit, vt quieſcat, aut laetatur, quaſi amica, ſi pareat.*

§. V.

Itinerum et victoriarum celeritas.

Egregia magnorum belli ducum facinora non mediocriter ab expeditionis celeritate commendantur. Haec non modo Pompeio [r]) Magni nomen meruit, ſed in earum quoque laudum et virtutum venit partem, quarum admiratione capta eodem cognomine Regem noſtri temporis maximum aetas iam ſua, vno quidem ore, adpellat. Itaque rapidum itinerum et victoriarum curſum in ornandis Imperatoribus, et reipſa, et imitatione Secundi, admoniti, Panegyricorum illorum auctores non poſtremo loco numerarunt. Qua in re amplificanda quum ſit aliquod eorum certamen, ipſorum hic cenſum agendo Pacati mei laudibus nihil admodum detracturus videor. Plinius breuiter ſatis, quae ſequuntur, dixerat: (c. 14.) *Per hoc omne ſpatium quum legiones duceres, ſeu potius, tanta velocitas erat, raperes: non vehiculum vnquam, non equum, reſpexiſti.* Verbo *rapere* maxima vis ineſt, quam intuetur, ni fallor, Nazarius, quum (c. 30.) res illas, a Conſtantino ad Tiberim praeclare geſtas, etiam eo leuiter tantum in praeſenti a ſe attingi dicit, *ne pugna raptim geſta diutius*

r) Caeſarem vero quis non maxima cum voluptate hanc laudum ſuarum partem audiuiſſe credat? *Omnes potentiſſimorum imperatorum res geſtae non poſſunt cum tuis — — — celeritate conficiendi — — conferri. Nec vero disiunctiſſimas terras citius cuiusquam paſſibus peragrari potuiſſe, quam tuis, non dicam curſibus, ſed victoriis, illuſtratae ſunt.* Cic. Marcell. c. 2. Quae Plinius noſter haud dubie reſpexit, quum ea, quae eod. c. 14. legimus, ſcriberet: *Cum orbem terrarum non pedibus magis, quam laudibus, peragrares.*

tius narrata, quam confecta, videatur. Propius tamen ad Plinianum illud noster accedit, quamuis breuitatem desideres. Audiamus quaeso (c. 30.) *Recte profecto*, inquit, *germana illa pictorum poëtarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium non cursus est, sed volatus.* Parum abest a Pliniana corrigendi figura. Etiam alterum verbum[s]), quod cum vi quadam huc transferri solet, teneatur. Victores non *currunt*, sed *volant*. Sed perge, Drepani. *Ille ab vltimo orientis sinu, festinatis itineribus, raptus exercitus, tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus, fatigatus, in alio orbe et sub alio paene dixerim sole. positus, spatio lucis vnius, Illyrico continuauit Aquileiam.* Ibi subsistere poterat. Enimuero quam difficile est, ingenio dictante, stilum cohibere! Verum de his postea. Interim nouum par in arenam producam, in quod me volatus ille detulit. Prodeat Mamertinus minor. (c. 6.) *Qui paullo ante inaudita regionum, fluuiorum, montium, nomina, exercitu victore, peragrauerat, per vltima ferarum gentium regna, calcata regum capita superuolans, in medio Illyrici sinu improuisus adparuit.* Iam ingeniosius ac fere poëtice rem amplificat, hominumque mirationem atque stuporem describit. *Vidimus felices illius comites viae stupentes vrbium populos dubitasse credere, quae videbant. Non aliter consternatas arbitror gentes, quae prolapsum caelo excepere Palladium.* Eandem obstupescendi caussam cap. sq. pari elegantia, maiori acumine, exponit: *Qui properationem illam contemplabitur, nihil legisse, praeter viam, Imperatorem putabit: qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet.* Haec sufficiant. Alter adesto, Eumenius, Constantino Augusto dicens (c. 7. extr.) *Classi*, inquit, *iam vela facienti repentinus tuus aduentus illuxit: vt non aduectus cursu publico, sed diuino quodam aduolasse curriculo videreris.* Hactenus laudem meretur sublimis dictione: deinceps vero (c. 8.) paullulum incipit frigere, similitudine longius petita: *Non enim vlla Persarum Cydonumue tela tam certis iactibus destinata fixerunt, quam tempestiuus patri tuo, terras relicturo, comes adfuisti, omnesque illius curas, quas praesaga et tacita mente voluebat, praesentiae tuae securitate laxasti.* Iterum dico: paullo duriuscula sunt ista, sed declamatori in Aeduis degenti condonanda. Plus

s) Cicero de homine cupido et impotente, C. Antonio, Phil. X. c. 5. *Quem nisi in via caducae hereditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse, diceres.*



Plus ingenii prodit elegans celeritatis descriptio, quam Maximiani Herculei atque Diocletiani victoriis alter Mamertinorum tribuit (Genethl. c. 4.) *Ambo quum ad orientem occidentemque occupati putaremini, repente in medio Italiae gremio apparuistis. Hos fructus capitis operum maximorum; sic interim meritorum conscientia triumphatis, dum triumphos ipsos semper vincendo differtis, quod, quaecunque pulcherrima facitis, continuo transitis, et ad maiora properatis: vt, dum vestigia vestra miramur, dumque vos adhuc esse in conspectu putamus, iam de vobis audiamus longinqua miracula. Ita omnes prouinciae vestrae, quas diuina celeritate peragrastis, vbi sitis, vicissim nesciunt: sciunt tamen, vos vbique vicisse.* Quum *dicto celerius* aliquid factum esse adfirmamus, nemo receptam vsu figuram non agnoscit. Eo pertinent Ausoniana illa: (c. 37.) *Tu, Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina et lacus* — — — *celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, euoluis.* Quae non displicent. Quorsum vero tam multa ex his? nempe, vt, collatis exemplis, adpareat, quantopere in vna re designanda certauerint arte, quantumque in hac turba ingenium Pacati eluceat. Hic enim non satis habens, rapidissimum Theodosii cursum tamquam volatum descripsisse, augendi causa milites Theodosianos illud iter narrantes naturali nobis descriptione ob oculos ponit. *Nihil tamen sibimet hoc nomine milites tui vindicant, et si quando mirantium circulos contrahunt, aut conuiuia nostra sermone producunt, operam omnem suam fine Alpium terminantes, deberi sibi abnuunt illam celeritatem, quod, expertes laborum peruenisse se, viderint, quo ire non senserant.* Quid autem? quo tendit ille? *Negant imo, se vectos esse corporibus, sed tamquam per aliquas imagines somniorum ferrentur absentes, praebuisse gestantibus ventis otiosorum ministeria membrorum.* Iam naturae simplicioris fines migrat, ex oratore poëta fit, poëticum sonum ac numerum, poëticas imagines, sectatur. Quin ad machinas veterumque fabulas de Castore et Polluce, nec non de Pegasis, delabitur, vt assertis miraculis nugatoria saltem argumentatione fidem faciat. Denique omnem scrupulum lepidissimo contrariorum lusu eximit. *Neque enim, quia se diuina mortalibus dedignantur fateri, idcirco, quae visa non fuerint, dubitauerimus facta, quum facta videamus, quae dubitauerimus esse facienda.* Nescio, an nimius fuerim. Sed moueor, quotiescunque indolem erectiorem, dum sublimia petit, prae nimio calore via lubrica prolabi video.

§. VI.

§. VI.

Moderatio et humanitas.

Saepissime accidit, vt imperatores, victoriis atque fortuna elati, admirationem virtute bellica comparatam animi impotentia rursus amitterent. Quo venerabilior Traiani, pariter ac Theodosii, temperantia, clementia et humanitas fuit. Magnifice sane Principis sui, pedibus vrbem ingressi, moderationem ornat Plinius: (c. 22.) *Tu sola corporis proceritate elatior aliis et excellentior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia Principum, egisti.* Omnino digna haec erant, quae in Theosianas laudes Pacatus transferret. *Ea vero,* (inquit hic c. 47.) *quae Romae gesta sunt et geruntur, ingeniis permittenda Romanis sunt: qualem te vrbi dies primus inuexerit; — — — vt pompam praetereuntium ferculorum curru modo, modo pedibus subsequutus, alterno clarus incessu, nunc de bellis, nunc de superbia, triumpharis.* Simili fere modo de clementia Theodosii loquitur: (c. 45.) *Tu ipsius victoriae victor omnem cum armis iram deposuisti.* Qua lenitate non minus eleganter dicit fieri, *vt hoc tali victore nemo sibi victus videatur.* Sed ea desumsit a Constantini laudatore, cuius nomen ignoratur. Ille sic: (c. 21.) *At iste victor, non modo hostium, sed etiam victoriae suae, quidquid militum bello superfuit, tibi reseruauit.* Neque hic tamen proprio ingenio debuit, sed Ciceroni, qui (pro M. Marcello c. 4.) postquam gloriae Caesaris illa dedisset: *Caeteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam ante aequitate et misericordia viceras; hodierno vero die te ipsum vicisti.* tum, *Ipsam,* inquit, *victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quae illa erat adepta, victis remisisti.* Cui Romanae eloquentiae patri adeo flosculus arrisit, vt paullo post, quamuis arte noua explicitum, rursus insereret: *Recte igitur vnus inuictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio visque deuicta est.* At profecto res et locus ista requirebant. Quamobrem verborum illorum vim, priusquam ea pronuntiaret, quantum poterat, inculcabat: *Vereor,* inquit, *vt hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio.* Sed ad Plinium redeo.

§. VII.

M o d e s t i a.

Ille vero Traiani modestiam, facilitatem et ciuilem animum non satis extollere potest. Ex tanta copia non eligam, nisi pauca exempla, ad



quae Pacatus in primis respexisse videtur. Pudor optimi Principis primum elucebat in recusando imperio. Plin. c. 5. *Ipse* (omen) *intelligere nolebas. Recusabas enim imperare; recusabas, quod bene erat imperaturi. Igitur cogendus fuisti.* Quid Theodosius? Pacat. c. 10. extr. et 11. pr. *Illud tamen prae ceteris mirum, quod, cum omnia faceres, vt imperare deberes, nihil tamen faciebas, vt imperares. Argumento est dies ille, communis boni auctor, quo tu, quum ad suscipiendam rem publicam vocabaris, oblatum imperium deprecatus es: nec id ad speciem tantum, vt cogi videreris, sed obnixe, et diu, et velut impetraturus, egisti.* Et c. 12. *Cogebaris inuitus, inuitus, inquam.* Quae, more suo, mirifice auget, fusiusque tractat. Porro ille: (c. 44.) *Priuato iudicio Principem geris:* hic paullo aliter: (c. 12.) *Quid tua intererat, te Principem fieri, qui futurus eras in Imperatore priuatus?* Vtriusque Caesaris ciuilis in publicum egressus laudatur. Secundus enim non solum de Traiani Plotina exclamat: (c. 83.) *quam ciuilis incessu!* sed mariti exemplo id facere dicit. Ipsum (c. 23.) negat *satellitum manu stipatum* fuisse; de Principis autem aede pari modo gloriatur: (c. 49.) *Quanto nunc tutior — — eadem domus, postquam eius, non crudelitatis, sed amoris, excubiis — — defenditur!* His grauiter subiungit: *Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit.* Quae verba nos ad sublimis huius et plane diuinae sententiae fontem, Tullianam eloquentiam, reducunt. Ita enim Cicero, Phil. II. c. 44. *Caritate et beniuolentia ciuium septum oportet esse, non armis.* Quod dictum Iuliani quoque laudator exprimere nixus est hac imitatione plane oratoria: (c. 24.) *Arma igitur et iuuenes cum gladiis atque pilis non custodiae corporis sunt, sed quidam imperatoriae maiestatis sollemnis ornatus. Quid enim istis opus est, quum firmissimo sis muro ciuici amoris obseptus?* Iam Pacatum videamus. Expressit illa praeterituro similis, quae figura, si modice adhibetur, fructu non caret. *Vt crebro* *), (inquit c. 47.) *ciuilique progressu non publica tantum opera lustraueris, sed priuatas quoque aedes diuinis vestigiis consecraris, remota custodia militari, tutior publici amoris excubiis; horum haec linguis, horum inquam voce laudentur*, caet.

§. VIII.

t) Cf. c. 76. *Ac primum ita domo progrediebatur*, caet.

u) Cf. Plin. noster, c. 77. pr. *Iter illi saepius in forum, frequenter tamen et in campum.* Cf. etiam Pacat. ipse, c. 21.

§. VIII.

Facilitas admissionum. Honor Senatui habitus.


Traiani laudator etiam eius admissionum facilitatem celebrat, c. 47. et 79. Et c. 48. *Scis enim*, inquit, *sibi quemque praestare, quod te videat, quod te frequentet: ac tanto liberalius ac diutius voluptatis huius copiam praebes.* Eodem modo Pacatus (c. 21.) Theodosium *non videri modo patientem, sed facilem adiri esse*, dicit, et paullo post, pulcherrima comparatione vtens: *Noster hic omnibus spectandus adfertur, nec magis communem hunc diem atque solem, quam nostrum Imperatorem, videri licet.* Cum primis honos ordini senatorio habitus in magna Traiani laude a Secundo ponitur: (c. 69.) *Nec ideo segnius iuuenes nostros exhortatus es, Consulatum circumirent, Senatui supplicarent, atque ita a Principe sperarent honores, si a Senatu petissent. Quo quidem in loco, si quibus opus exemplo, adiecisti, vt te imitarentur. Arduum, Caesar, exemplum, et quod imitari non magis quisquam candidatorum, quam Principum, possit. Quis enim vel vno die reverentior Senatus candidatus, quam tu, cum omni vita, tum illo ipso tempore, quo iudicas de candidatis?* Et, (c. 23. pr.) *Gratum erat cunctis, quod Senatum osculo exciperes, vt dimissus osculo fueras.* Pari modo c. 71. *Iam, quo adsensu Senatus, quo gaudio, exceptum est, quum candidatis, vt quemque nominaueras, osculo occurreres?* Pacatus istam Theodosianae laudis partem paucis complexus est, (c. 47.) illum *se omnibus Principem, singulis Senatorem exhibuisse*, dicens. Porro (c. 20.) *Ille*, inquit, *cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est.*

§. IX.

Amicitiae cultus.

Etiam amicitiae locum apud hos Imperatores fuisse, monumentis aeternis mandatum voluere nostri oratores. Plinius quidem ita: (c. 85.) *Iam etiam et in priuatorum animis exoleuerat priscum mortalium bonum, Amicitia. — Etenim in Principum domo nomen tantum amicitiae, inane scilicet irrisumque, manebat. — Tu hanc pulsam et errantem reduxisti. Habes amicos, quia amicus ipse es. Placeat tibi semper haec secta, et cum alias virtutes tuas, tum hanc, constantissime teneas: nec vnquam persuadeatur, humile esse Principi, nisi odisse.* Ad haec multis, vt solet, de amicitia, maxime Principum, egregie philosophatur. Pacatus autem pari di-

 cendi

cendi copia hanc Theodosio virtutem tribuit, insignibus amicorum exemplis, quae iactat antiquitas, orationi suae intertextis, petitis iis quidem se superioribus illis Panegyricis. Plinii vero imitationem in his, quae sequuntur, Drepanii verbis deprehendi. (c. 16. pr.) *Ecquis Imperatorum vnquam putauit, amicitiae cultum in regia laude ponendum? Humilis haec virtus, dubiumque, an virtus, iudicabatur, nec palatiis digna, sed periculis, habebatur. — Tu amicitiam, nomen ante priuatum, non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam, solio recepisti.* Quid hac prosopopoeia splendidius et ad ornatum magnificentius esse potest? Ceterum hic totus mihi dignus videtur locus, vbi aliquantum commoremur. Neque poenitebit imitationis masculae studiosos, paullo curatius oculos animumque adiecisse, vt intelligant, quo pacto singula vtriusque verba sibi mutuo respondeant. Videmus ergo illic in Principum domo *amicitiae nomen inane;* hic *amicitiam indignam palatiis* habitam et *nomen priuatum:* illic *irrisam;* hic *periculis dignam:* illic *persuasum* antea *Principibus* fuisse, nisi *odisse,* humile esse Principi; quum tamen haec *virtus* constantissime tenenda sit; hic, nullum *Imperatorem putasse,* cultum eius in regia laude ponendum; iudicatam enim hanc *virtutem* fuisse *humilem.* Quod ad egregiam denique conformationem attinet, Pliniana simplicior est, immo quandam habet miserationem: quorum nihil continet sublimior ista Pacati. Vtraque in suo genere fere absoluta; imitatoris tamen conuenientior est huius elatae saepiusque sufflatae orationi, quam Plinii modestior ipsi fuisset. Vt vero bona fide agamus, ex hac ipsa Pacati nostri, quantulacunque est, laude, aliquid etiam decerpit Mamertinus minor, qui Plinianae prosopopoeiae formam instauratis a Iuliano Augusto artibus et philosophiae aptauerat. En imitationis haud ineruditae specimen: (c. 23.) *Tu, tu, inquam, maxime Imperator, exulantes relegatasque virtutes ad rem publicam quodam postliminio reduxisti: tu extincta iam literarum studia flammasti: tu philosophiam, paullo ante suspectam ac nedum spoliatam honoribus, sed accusatam ac ream, non modo iudicio liberasti, sed amictam purpura, auro gemmisque redimitam, in regali solio collocasti.* Iam Pacato meo, bono viro, metuere possis, ne, si sua quisque repoposcerit, graculi fortunam patiens abeat seminudus. Non admodum est, quod vereare, neque quod inuideas. Idem enim non in his modo, sed in quemuis auctorem, tibi mihique iuris est. Porro quid abstulit? Rem,

vt

vt ita dicam, Secundo, ſed non omnem; verba Mamertino, ſed mutata. Quibus de cauſſis tantum abeſt, vt valde reprehendi noſter debeat, vt vel ſit laudanda eius in exprimendis aliorum virtutibus dexteritas et ſollertia; licet, *amictae purpura et auro gemmisque redimitae* habitum ab eo non ſatis immutatum eſſe, lubens confitear. Nunc etiam illud melius cognoſcitur, a quo proximo fonte verba illa ducta ſint, *periculis digna habebatur;* ſcilicet ab iſtis, *nedum ſpoliatam honoribus, ſed accuſatam ac ream.* Operae pretium eſt, huius modi ſcitae ac prudentis imitationis exempla diligenter inſpicere, vt, ſalua exiſtimatione, nobis quod ex vſu ſit, ab aliis mutuari diſcamus. Neque tamen poſſum, quin Pacato, ſi hoc exemplum ſpectes, Mamertinum anteponam. Is enim ablata multo callidius texit, multo commodius immutauit; ſi quidem nobis pro *amicitia pulſa et errante virtutes exulantes relegatasque* ſiſtit; ampliſſimam vero, quam addit, imaginem ſuopte conformauit ingenio, Plinio nonniſi *reducendi* et aulae ideas et fictae perſonae exemplum ſuppeditante. At vero ſatis eſt minutiarum.

§. X.

Optimi cuiusque ſtudium.

Etenim ad maiora nobis properandum. Augetur ſenſim veneratio, quae duobus illis Imperatoribus debetur, amicitiam non modo colentibus, verum etiam optimos in fidem ac familiaritatem ſuam recipientibus, nec minus immortalibus beneficiis, quam conſuetudine, ſibi deuincientibus. Traianus igitur, teſte Plinio, (c. 45.) *amicos ex optimis legebat,* ſimiliterque Theodoſius, vt Pacatus auctor eſt, (c. 17.) id agebat, *vt omnibus probaret, amicum ſibi eſſe, qui bonus eſſet.* Addit Plinius de illo: (eod. c.) *Huic cari, huic probati eſſe cupimus: quod fruſtra ſperauerint diſſimiles.* Et: (c. 44.) *Salua eſt omnibus vita et dignitas vitae: nec iam conſideratus ac ſapiens, qui aetatem in tenebris agit. Eadem quippe ſub Principe virtutibus praemia, quae in libertate; nec benefactis tantum ex conſcientia merces.* De ſimili Theodoſii ſapientia iuſtitiaque Pacatus: (c. 17. extr.) *Sibi humilitatem et tenebras ſuas imputet iacens virtus, quae non obtulit ſe probandam. Quod conſcientiae tuae ſufficit, honoratus eſt, qui probatus.* Praeſto hic nouum nobis exemplum eſt rei ſententiaeque, tamquam corporis, a Plinio quidem deſumtae, ſed alius cuiusdam auctoris habitu ornatae. Iſta enim de clementia Con-

ſtantini



ſtantini apud laudatorem eius, Eumenium, exſtant: (c. 20. extr.) *Sibi imputet, quisquis vti noluit beneficio tuo, nec ſe dignum vita iudicauit, quum per te liceret, vt viueret: tu, quod ſufficit conſcientiae tuae, etiam non merentibus peperciſti.*

§. XI.

Studium ſalutis omnium.

Principis eſt, non amicos modo ornare, ſed omnem populum ſuum felicem reddere; qua de cauſſa pater patriae, communis parens omnium, a poëta vero ποιμὴν λαῶν, vocatur. E ſalutis autem publicae conſeruandae poteſtate ſumma demum ipſius Principis felicitas cenſenda eſt. Qua de re Plinius (c. 161.) *Vt felicitatis eſt, inquit, quantum velis, poſſe, ſic magnitudinis, velle, quantum poſſis.* Pacatus autem aliquanto amplius: (c. 27.) *Nullam maiorem crediderim eſſe Principum felicitatem, quam feciſſe felicem, et interceſſiſſe inopiae, et viciſſe fortunam,* (ſc. aduerſam ciuium,) *et dediſſe homini nouum fatum.* Vellem tamen, initium ſententiae poſuiſſet confidentius. x) Vix dubito, quin adfirmationem, vel ἐπίζευξιν, hoc loco Tullius adhibuiſſet. Ceterum quum non omnes ciuitates ad Anglo-Britannicae illam normam, quam auream ipſi vocant, conſtitutae ſint; quum igitur plurimis Principum etiam peſſumdandi rem publicam, non ſolum iuuandi ſeruandique, maxima ſit poteſtas: qui ſummo imperio non vtuntur, niſi, quantum ex re omnium ſit, ii vero Patriae patres qui dicantur, digni mihi videntur. Tales illi duo celebrantur a panegyriſtis; Traianus a Plinio: y) (c. 30.) *Tam velox, Caeſar, potentia tua eſt, tamque in omnia pariter intenta bonitas et accincta, vt triſtius aliquid ſaeculo tuo paſſis ad remedium ſalutemque ſufficiat, vt ſcias.* A Pacato porro Theodoſius: (c. 12.) *Ius ſummum facultate et copia commodandi, non ſecuritate peccandi, experiris.* Quae imitatoris verba quamquam quod volo ſignificant, a Plinianae tamen orationis maieſtate ſuperantur. A cuius forma propius aliquanto abeſt alius quidam locus, vbi Pacatus de virtute bellica Theodoſii loquitur. (c. 30.) Ibi enim, *Et te*

x) Huc pertinet quodammodo praeceptum Hermogenis, de Form. Orat. l. I. c. 6. περὶ Σεμνότητος, edit. Laurent. p. 281. Ὡς γὰρ εἰδότας ἀκριβῶς δεῖ λέγειν καὶ μετ' ἀξιώματος, ἀλλ' οὐκ ἐνδοιάζοντας, ὅτι τοῦτο φροντίζοιμεν, τῆς διαρκοῦς λόγου σεμνότητος.

y) Vid. in primis c. 21. et 26.

te quidem, Imperator Auguste, inquit, *ad adserendam rem publicam vsurpandamque victoriam, suffecisset, in bella vel solum venire.* Quare quum ita Principum vterque animatus esset, a cuncto Senatu Traiano adclamatum illud est: (Plin. c. 74.) *O nos felices!* immo etiam, *O te felicem!* Quae sollemnes formulae deinde monumentis publicis insertae sunt. Pacatus autem (c. 16.) sui Principis patrem *felicitatis publicae auctorem* appellare non dubitat.

§. XII.

Disciplina virtutum, a se incipientis.

Quemadmodum liberalis educatio beneficiorum, quae a parentibus liberi possunt accipere, summum est: ita si patriae pater, velut communis educator, subiectorum consulit moribus, rei publicae gratulandum puto. Quo nomine Traiani laudator ita gloriatur: (c. 42.) *Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium seruis.* Quae verba etiam ad innocentiae famam, omnibus restitutam, pertinent; cuius ratione habita, Pacatus eos ciues, qui cum Maximo steterant, a Theodosio, quod nouarum rerum eos poeniteret, seruati, (c. 45.) *cunctos domibus suis, cunctos coniugibus ac liberis, cunctos*, quod quidem dulcius esse censet, *innocentiae restitutos esse*, dicit. Plinius vero Traiano ea de caussa laudato, quod delatores aliosque adulatores a se remouisset, hoc addit: (c. 41. extr.) *Quo euenit, vt tibi cum plurimum pro tuis, plus tamen pro nostris moribus, debeamus.* Pari modo Pacatus, (c. 15. pr.) a Theodosio *mores hominum et instituta formata esse*, ait, *vitiis quidem abdicandis, virtutibus autem adoptandis.* Neque vero inuiti aut coacti horum Imperatorum amici et reliqui porro subiecti suos mores emendabant. Plin. (c. 45.) *Tibi beneficiis potius, quam remediis, ingenia nostra experiri placet.* — (c. 46.) *Itaque nemo de seueritate tua queritur, et liberum est queri.* — *Omnibus, quos bonos facis, hanc adstruis laudem, ne coëgisse videaris.* Pacat. (c. 14.) *Quiescentibus legum minis, subiit quemque priuatim sui poenitentia* — (c. 13.) *Quod natura difficillimum, emendasti volentes.* — *Quin vbi primum te imperio praestitisti, non contentus ipse, vltra vitia recessisse, alienis vitiis corrigendis curam adiecisti; idque moderate, vt suadere potius honesta, quam cogere, videreris.* Nimirum ipsorum Principum auctoritatem et virtutum exempla sequebantur. Plin. (c. 45.) *Vita Principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur.*



uertimur. Et, paullo ante: *Flexibiles quamcunque in partem ducimur a Principe; atque, vt ita dicam, sequaces sumus; — eoque obsequii continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus.* Pacat. (c. 13.) *Ne quis, se pati iniuriam, putaret, a te voluisti incipere censuram. — An quis ferret moleste, ad Principis semet modum coërceri?* (c. 15.) *Nihil abdicandis vitiis adoptandisque virtutibus impensius sentio profuisse, quam, quod his te viris semper dedisti, quos adfectare publica deberet imitatio; qui, quam faciles tibi fuissent sequacesque discipuli, tam ceteris expetendi essent magistri.* Imperatores vero semetipsi legibus quasi deuinciebant. Plin. (c. 65. pr.) *In rostris quoque simili religione ipse te legibus subiecisti: legibus, Caesar, quas nemo Principi scripsit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: sic fit, vt nos tibi plus velimus. Quid ergo? nunc primum audio, nunc primum disco? Non est Princeps supra leges, sed leges supra Principem. Idem Caesari Consuli, quod ceteris non licet.* Quibus germana sunt haec Pacati: (c. 12.) *Quid tua intererat, te Principem fieri, qui futurus eras in Imperatore priuatus? — Idem es, qui fuisti; et tantum tibi per te licet, quantum per leges licebat. Ius summum facultate et copia commodandi, non securitate peccandi, experiris. Vnum tibi praestitit principatus, vt certum haberemus omnes, etiam sub Imperatoribus aliis vixisse te legibus tuis. Nam qui nihil facit licenter, quum potest, numquam voluit.* Qui acumen Plinianum in his non agnoscat, neminem fore, arbitror. Paullo tamen plus mihi libertatis in illis Plinii, quam in his Pacati, spirare visum est: quod discrimen ab auctoritatis consularis ac senatoriae reliquiis et minore Gallorum legati, quodammodo deprecantis, dignitate oriundum, in pluribus etiam panegyricorum locis cuilibet animum oculosue diligentius attendenti occurret.

§. XIII.

Inde Principis vera gloria.

Ita se gerendo Principes optimi inanem non adfectabant gloriam; quo fiebat, vt veram consequerentur. Plin. (c. 55.) *Ac mihi intuenti sapientiam tuam minus mirum videtur, quod mortales istos caducosque titulos aut depreceris, aut temperes. Scis enim, vbi vera Principis, vbi sempiterna sit gloria: vbi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus, liceat. Arcus enim et statuas, aras etiam templaque, demolitur*

molitur et obscurat obliuio, negligit carpitque posteritas: contra contemtor ambitionis et infinitae potestatis domitor ac frenator animus ipsa vetustate florescit, nec ab vllis magis laudatur, quam, quibus minime necesse est. Eximia loci pulchritudine nec mediocriter laudando sublimitatis exemplo ductus, eiusque, si veniam rogare oportet, dulcedine captus, totum huc transtuli, quamuis in Pacati panegyrico vix quidquam extet, quod cum illo comparari possit, praeter istud: (c. 12.) *Audite hoc, publici parricidae, qui — sanguinis pretio regium nomen emistis; repulsam patitur principatus, et vnus est ambitus candidati, ne declaretur.* Postremam autem illius sententiam ita Pacatus leuissima immutatione expressit: (c. 2. extr.) *Neminem magis laudari Imperatorum decet, quam, quem minus necesse est.* Quae res tanti momenti erat, vt eam Plinius pluribus locis inculcaret, vt luculentum felicitatis temporum signum; veluti c. 55. *Quum iam pridem nouitas omnis adulatione consumta sit, non alius erga te nouus honor superest, quam si aliquando de te tacere audeamus.* z) A quibus illa Pacati non multum differunt: (c. 2.) *Nunc par dicendi tacendique libertas, et, quam promtum, laudare Principem, tam tutum, siluisse de Principe.* Quo alacriores ad praedicandas Augustorum laudes accedebant, ab adulatione (impudentiore certe) sese abstinentes. Plin. (c. 2.) *Quare abeant ac recedant voces illae, quas metus exprimebat.* cll. c. 1. extr. Et Pacatus: (eod. c. 2.) *Quin et illud me impulit ad dicendum, quod, vt dicerem, nullus adigebat. Non enim iam coacta laudatio et expressae metu voces periculum silentii redimunt. Fuerit abieritque tristis illa facundiae ancillantis necessitas.* Quam Secundus c. 72. *necessitatem seruitutis*, eam *tristem* nominat Pacatus. Plinius *miserae* quoque *adulationis* nomen adhibet (c. 54. pr.) Vt adeo haec laudis et gloriae pars ad eas pertineat, quas Pacatus cum primis idoneas iudicauit, quae diligentissima imitatione ab ipso tractarentur. Neque vero gloriam solum genuinam et immortalem, sed amorem etiam subiectorum optimis Principibus tot ac tantae virtutes conciliabant. Quocirca, vt hoc vnum adferam a), *laetissimam* Traiani *faciem et amabilem vultum in omnium ciuium ore, oculis, animo, sedere*, Plinius (c. 55. extr.) praedicat. Eundem bonitatis fructum Theodosius tulit, Drepanio (c. 21. extr.) simili modo testante:

D 2 Quum

z) Cf. c. 54. a) Vid. quoque, si lubet, c. 85.

Quum vicinum habeant permiſſa faſtidium, numquam iſte mirantes explet oculos: magis magisque viſus expetitur, et, nouum dictu, praeſens deſideratur. In quibus manifeſta ineſt ſuperiorum imitatio, non puerilis illa, qua nihil neque facilius, neque indoctius eſt, ſed quae virum deceat, eumque Pacati mei ſimilem.

§. XIV.

Summus honor, diuinus, vel diuino proximus. Exempla ex Plinio allata.

Quandoquidem omnis praeſtantiae, magnitudinis, virtutis, gloriae, maieſtatisque complexum et ſummam in ſolo Numine diuino reperiri, non modo ſapientes praecipiunt, ſed omnis homo ſua ſponte ſentit, niſi veritatis luce careat: gentes priſcae, ſi quem virtute inſignem ac de vniuerſa patria praeclare meritum virum eximio vellent honore adficere, memoriam eius conſecrarunt; nihil cultu religioſo maius ei tribuere ſeſe poſſe, recte arbitrantes. Inde originem heroës, inde plurimi deorum traxerunt. Indidem omni memoria factum eſt, hodieque fit, vt eximia rei vel hominis alicuius pulchritudo aut excellentia ſignificari nulla ratione melius poſſe putetur, quam dicendo, *rem eſſe diuinam, hominem diuinum*, atque adeo, *deum*. Itaque non eſt mirandum, oratoribus aeque ac poëtis, ſummum ſublimitatis gradum [b]) eum eſſe, vbi ab inferiori orbe tamquam in Deorum regionem euehatur oratio. Attamen ipſius huius altitudinis ſummae genera, vel, ſi mauis, quidam ſunt gradus; quibus quomodo noſtrorum Oratorum vterque paullatim adſcendat, primum Plinii, deinde imitatoris, exemplis, iisque, perſpicuitatis cauſa, ſeorſim poſitis, declarabimus. Itaque propius ad illam ſanctiorem, vt ita dicam, Panegyricorum ſublimitatem accedamus, et initio Traianum, cui *remiſſio* fuiſſe dicitur, (Plin. c. 81.) *ſine comitibus pia mente adire lucos, et occurſare Numinibus*, videlicet Dianae, Pani, Fauno, Siluano, Satyris et Nymphis, hunc igitur ad nemora ſequamur, mox autem ad altiora pergentem comitemur. Illa enim priuatis quoque hominibus, vt ex eodem Plinio (lib. I. epiſt. 6.) diſcimus, patent: in Capitolio vero, ſede Iouis auguſtiſſima, facta Caeſaris adoptio maiore animum religione perfundit. Quam loci ſanctitatem ſpectans Conſul et Augur diſertiſſimus,

b) Cf. Hermog. de Form. Orat. l. I. c. 6. pr.

mus, Iouem Capitolinum (c. 94. extr.) rogat, vt, *si optimo Principi successor, quem ipse genuerit, denegetur, ei monstret aliquem, in Capitolio quem adoptari deceat.* Ibidem, *Tu*, inquit, eundem Deorum regem alloquens, *voce Imperatoris* (Neruae,) *quid sentires, loquutus, filium illi, nobis parentem, tibi Pontificem maximum, elegisti.* Adhuc maiorem sacratissimi Principis dignitatem praecipua eius a Diis habita ratio, eorumque mentes in iurantem vnice conuersae, indicant: (c. 65.) *Iurat*, (Caesar Traianus, Consul recens creatus,) *in legem, attendentibus Diis. Nam cui magis, quam Caesari, attendant?* Omnino talis attentio multum sublimitatis prae se fert; honorificentius tamen certamen illud amicum Imperatori est, quod inter patrem eius naturalem et adoptiuum, vtrumque iam consecratum, de tanto filio esse perquam ingeniose fingitur: (c. 89.) *Cum eo, qui adoptauit, amicissime contendis,* (verba facit ad Traianum patrem,) *pulchrius fuisse, genuisse talem, an elegisse?* Neque tantum Diuos illos minores, verum etiam Deum O. M. de Principe tam egregio terrarum orbi dato gloriari, existimat: (c. 23.) *Quin etiam Deum ipsum tuum* (Iouem Capitolinum,) *praecipuam voluptatem operis sui* (designati atque electi Imperatoris) *percepisse, crediderim.* Ad hanc tam diuinam huius originem bonitatis eius incomparabilis, velut necessariae, causam hoc modo refert: (c. 5. pr.) *An fas erat, nihil differre inter Principem, quem homines, et quem Dii fecissent?* Atque hoc munus omnium esse praestantissimum censet eorum, quae a Diis tribui humano generi possint. (c. 1.) *Quod enim praestabilius est, aut pulchrius munus Deorum, quam castus, et sanctus, et Diis simillimus Princeps?* Huius igitur tam auspicatae hominibusque saluberrimae adoptionis et electionis auctoritatem nequaquam ad homines referendam, sed ad Numen diuinum esse, saepius adfirmat. Ita (eod. c. 1.) pergit: *Ac si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo Numine, darentur, Principem tamen nostrum liqueret diuinitus constitutum.* Nec minus saepe ad loci maiestatem atque cerimoniam grauissime prouocat. Hanc enim addit rationem: *Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Ioue ipso coram ac palam repertus est electus; quippe inter aras et altaria, eodemque loci, quem Deus ille tam manifestus ac praesens, quam coelum ac sidera, insedit.* Alio autem loco (nempe c. 8.) *non in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem torum, sed ante puluinar Iouis O. M. adoptionem* Traiani *peractam* esse, dicit. Altioris adhuc generis Neruae con-

 secratio



ſecratio eſt, quem ille (c. 11.) potiſſimum *eo Deum et facere et probare* dicitur, *quod ſit ipſe talis.* Cauſſam adfert ſpecioſam potius, quam veram: *In Principe enim*, inquit, *qui electo ſucceſſore, fato conceſſit vna itemque certiſſima diuinitatis fides eſt bonus ſucceſſor.* Magis etiam eo Traiani dignitas augetur, quod Dei filius fit. Sic enim Plinius (c. 14.) de primis eius victoriis loquens: *Et necdum Imperator, necdum Dei filius eras.* Quum (c. 67.) Caeſar *paciſci cum Diis* dicitur, in mentem nobis cuiusdam aequalitatis venit, in qua Secundus vtramque partem ponere videatur. Quamuis autem contendere nolim, neceſſario illius aequalitatis, vel diſcriminis leuioris, cogitationem ex idea pacti aptam aut nexam eſſe [c]): attamen, quum nihil facilius fiat, quam, vt hac ad illam deferamur, dictioni magis, quam rei, licet et huic, ſublimitas ineſt. Maior vero loco illi, (c. 34.) vbi legimus iſta: *Omnibus annis in conſilium de te Deos mittis, exigisque, vt ſententiam ſuam mutent, ſi talis eſſe deſieris, qualis electus es.* Quae quidem legenti non aequalitas modo, ſed inferior ferme Deorum occurrit conditio; quantumque Dii, *qui omnibus annis de Caeſare in conſilium mittuntur*, demitti videntur, tantum, *qui mittit*, extolli. Pari elatione (c. 8.) commemoratur Nerua, *poſtquam allatam ex Pannonia lauream in gremio Iouis collocaſſet, repente ſolito maior et auguſtior, aduocata hominum concione Deorumque,* Traianum *adoptaſſe.* In qua deſcriptione tria praecipue notatu digna ſunt, primum illud, quod, *velut adflatus Numine diuino, ſolito maior et auguſtior exiſtit;* deinde, quod *concionem Deorum habet;* poſtremo, quod coniuncta *hominum Deorumque* vocabula ſpeciem quandam praebent eiusdem in vtrosque poteſtatis. Quid elatius de homine, quantumuis potente atque in ſummo rerum humanarum faſtigio conſtituto, praedicari poteſt? Nonne talis, ne quid amplius dicam, a Numinis diuini ſimilitudine quam proxime abeſt, vt in eum illa Homerica, θεῖος, Θεοῖς ἐναλίγκιος, ἐναλίγκιος Ἀθανάτοισι, ἰσόθεος φὼς, ἀντίθεος, et reliqua, optime conueniant? Verumtamen ob virtutes aptius etiam Traianum Plinius *Diis ſimillimum* [d]) *Principem*

c) Etiam, quod notiſſimum eſt, in veteris Iudaicae religionis monumentis, quorum ipſum nomen inſtar teſtimonii eſt, ſaepe numero pactionum Deum inter hominesque factarum fit mentio.

d) In his Ciceronis imitatio deprehenditur, qui, in oratione pro M. Marcello habita, ad quam noſter, quum Panegyricum Traiano ſcriberet, ſaepe reſpexiſſe videtur, victorem temperantem

pem appellat. Sic etiam (c. 7.) *ad imperium optimum ſemper Diisque ſimillimum eligendum eſſe*, ſtatuit. Alibi vero, (ſc. c. 4.) Traianum *eum* eſſe *Principem* cenſet, *quem deceat aequata Diis immortalibus poteſtas.* Porro c. 89. Neruam, qui iam in Deorum numerum erat relatus, his verbis affatur: *Quam laetum tibi, quod, comparatus filio tuo, vinceris!* Qua laude nihil fere exquiſitius, neque delicatius inueniri poſſe, crediderim. Traianus Neruam virtute gloriaque *ſuperat.* Honorificum iſtud eſt. Atqui mirifice augetur ipſius Neruae, eiusque iam Diui, confeſſione. Sed omnis inuidia remouenda erat; quare laetitiam ſuperati commemorat, quam exclamando inſigniter exprimit, eoque vero ſimiliorem facit, quod patrem a filio vinci, neque ſolum generoſo animo, ſed etiam pietate atque amore ductum, laetari, ſe victum, indicat.

§. XV.

Summus illius honoris gradus, adulationi proximus.

Quid, omnibus fere humanis elogiis in hoc laudando Principe conſumtis, deinceps a Panegyriſte potius exſpectari poterat, quam, vt illum *Deum* adpellaret adorans? Enimuero ex hoc ipſo, quod honorem diuinum Princeps a ſe declinaſſet, ampliſſimam commendandae illius modeſtiae materiam conſtruit. Oppoſitis enim ex aduerſo, tamquam vmbrae loco, tyrannicae arrogantiae exemplis, *Tu*, inquit, (c. 52.) *delubra non niſi adoraturus intras.* Illud modeſte, profecto. Pergit orator: *Tibi maximus honor, excubare pro templis, poſtibusque praetexi.* Contentus igitur ſtatuarum in veſtibulis templorum ſibi poſitarum honore, maiorem non admittit. Eſt autem vtrumque verbum, *excubare* atque *praetexi*, dignum, quod attentius intuearis. Illud enim Traianum pro templis adeoque Diis *excubias agere*, ſignificat, vt in Caeſaris quaſi *tutela* ſint; hoc vero, ſicut purpura *togae praetexta* veſti multum ornamenti addebat, ita Traiani ſtatuas Deorum templis inſigne decus eſſe, non obſcure indicat. [e]) Qui honor ſane maximus eſt, vt iam huius ipſius vocis duplicem

tem et clementia praeditum *ſimillimum Deo* iudicat. Ceterum Plinius etiam in literarum ſtudiis illius imitatorem, quid? *aemulum*, ſe ipſe l. IV. epiſt. 8. profitetur; ſicut epiſt. 5. lib. I. vbi ſe *contentum* eſſe negat *eloquentia ſaeculi ſui.*

e) Cf. Schwarzius ad h. l.



plicem vim, neque abhorrentem ab acumine Pliniano, innuamus. Plura supersunt exempla, quae artem oratoris, a Dei appellatione abstinentis, laudisque parcae speciem mirifice compensantis, nobis prodant. Veluti c. 80. *O vere Principis, — — — intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit; postremo velocissimi sideris more, omnia inuisere, omnia audire, et vndecunque inuocatum statim, velut Numen, adesse et adsistere.* Dei actiones alicui tribuere perinde habendum est, ac si eundem nomines Deum. Annon vero Principem suum omnia posse, omnia intueri atque audire, scire omnia, et vbique praesentem auxilio adesse, Plinius disertis verbis docet? Nimirum sunt quidem plures Principum, qui eadem, quae Traianus, efficiant: orator autem tali modo describit, vt omnia *diuina* videantur. Quo in primis illud superlatum pertinet, *infectum reddere, quidquid fieri non oportuerit*, hoc est, *abolere decreta iniqua, eorumque effectum tollere*, vti Lipsius interpretatur. Sed, iterum dico, ita effert omnia, quasi de Numine loquatur. Neque comparationem omittit. Vt enim illud, *velut Numen*, praeteream, subiungit ista: *Talia esse crediderim, quae ipse mundi parens temperat nutu, si quando oculos demisit in terras, et fata mortalium inter diuina opera numerare dignatus est.* Sunt illa magnifice quidem de Traiano, de Ioue autem ex Epicuraeorum sententia dicta. In proxime insequentibus vero aperta inest adulatio. Ita enim pergit: *Qua nunc parte curarum liber solutusque* f), *tantum caelo vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris. Fungeris enim, sufficisque mandanti.* Habes alterum Iouem, certe Iouis vicarium, seu procuratorem g). Enimuero alio loco (c. 74.) eo progreditur, vt Imperatorem quodammodo supra Deos extollat, illum Diis imitandum proponens. *Quid enim felicius nobis*, inquit, *quibus non iam illud optandum est, vt nos diligat Princeps, sed Dii, quemadmodum Princeps? Ciuitas religionibus dedita, semperque Deorum indulgentiam pie merita, nihil felicitati suae putat adstrui posse, nisi*

f) Satis infirmum vel inertem Plinius Iouem suum passim repraesentat; velut in illa sollemni precatione: (c. 94.) *Capitoline Iupiter, non te distringimus votis: non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum vnum omnium votum est, Salus Principis. Nec vero noua tibi iniungimus.*

g) Magis etiam, vt Schwarzius notat, Mamertinus adulatur, quum, (c. 3.) Maximianum Augustum *totius orbis fata suscipere*, dicit.

rifi, vt Dii Caesarem imitentur. Sed nimio opere modum excedit cap. 40. vbi Traiano suo potentiam adscribit ipsa maiorem diuina. His enim verbis vtitur: *At in praeteritum ne Dii quidem subuenire possunt: tu tamen subuenisti, cauistique, vt desineret quisque debere, quod non esset postea debiturus.*[h]) Iam nihil abest, quin talia probanti Caesaris et Augusti nomen diuino maius videatur.

§. XVI.

Exempla ex Pacato petita.

Hactenus, qua ratione Plinius nimiam sublimitatem adfectans in adulationis atque tumoris vitium inciderit, satis vidimus. Heu, quam vereor, ne, talem itineris ducem nimis fidenter sequens, Pacatus pari modo deuius ac praeceps feratur; praesertim, quum, crescente humilitate, procedente tempore pauci essent, qui a cultu Principum religioso abstinerent[i]). Quare non mirandum est, aeternitatem imperii, quam in Caesarianis nummis non semel consignatam reperimus, et pro qua Traiani laudator (c. 67.) cum reliquis ciuibus vota nuncupabat[k]), etiam Theodosio cum vita immortali a Pacato esse ostensam, his verbis, et velut promissam: (c. 7. extr.) *Prius fortasse imperium inire debueris, vt diutius imperares; sed sine exempli periculo prouidebitur, ne quid amiseris. Vita longiore pensandum, quod ex praeterito perdidisti. Parum interest, quando coeperit, quod terminum non habebit.* Et c. 44. de Imperatoris immortali virtute a poëtis celebranda ita monet: *Illa, quam historiis praestare solebatis, ab historia veniet aeternitas.* Sed hunc locum eo libentius desero, quo leuioris et breuioris momenti nostra aetate multarum rerum *aeternitas* est. Porro

h) Schwarzius ad h. l. *Quid vero ais, optime Plini? Dum enim sic loqueris, aut nimis abiecte sentis de Diis tuis; aut ex nimio argutandi studio istud orationis tuae acumen hebescit. An Dii tui non potuerunt debita diuturna remittere? cum etiam quisque priuatorum hominum aes alienum, inde a patre et auo deriuatum, tandem debitori, vt solutum, relinquere queat. Traianus sic non facta reddidit infecta, sed sustulit facienda. Certe Domitianus, teste Suetonio, cap. 9 scritas quaestorios venia in praeteritum donauit.*

i) Saltem ipsius Dei O. M. maiestatem Principum suorum dignitate non multo maiorem sibi videri, significabant. Veluti Ausonius (c. 35. extr.) Gratiani Caesaris honori haec attribuit: *Concludam deinceps orationem meam, piissime Auguste; — — flexu tamen paruo, nec a te procul, conuertar ad Deum.*

k) Cf. lib. X. epist. 50.

Porro etiam huic oratori sui Principis omnia *sacra* et *caelestia* videbantur, in primis illius animus. Itaque (c. 6.) *Non frustra plane*, inquit, *opinione sapientum, qui naturalium momenta causarum subtilius sciscitati, arcanis caelestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quaeque species plurimum creditur trahere de caelo. Siue enim diuinus ille animus* — — — *parcam arcanum caeleste rimari.* Et c. 18. *Tibi sacra mens tua loco momentoque, quo iusseris, reddit omne depositum.* Quid? non ipse modo *sacer* Imperator est, sed attrectatu etiam *consecrat*, vt ex Drepanio discimus. Namque (c. 20.) *ille* amicorum Caesaris *cohonestatus adfatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus* esse praedicatur. Postremo vero capitum Theodosius *priuatas aedes diuinis vestigiis consecrasse* dicitur[l]). Imitatur autem Plinium in eo quoque, quod Principis egregie quidem humaniterque factis, humanis tamen, actionum diuinarum laudes donat et sic ornat, vt solito ampliorem formam induant. Vt c. 19. *Quum hactenus a Natura esset statutum, vt bona sua homines nescirent, et tum primum inciperent felicitate gaudere, quum coepissent esse felices: tu, promittendo praestanda, inuenisti tempus, quod nobis natura subtraxerat, vt, quos adepta solum iuuabant, etiam adipiscenda delectent.* Scilicet, animos petentium non tenebat suspensos; vt inter spem ac metum dubii haererent, nec *muneribus artem difficultatis adhibebat:* [m]) sed sine mora, vel certissime promittebat, vel cum gratia recusabat. Haec illo magnifico modo amplificantur. Quemadmodum autem Naturae, sic Fortunae quoque, malignitatem Theodosius corrigere valuit; vtpote qui (c. 27.) *vicisse fortunam et hominibus nouum fatum dedisse* commemoretur. Diuinius etiam illud est: (c. 40. pr.) *Anguste fortunam tuam, Imperator, expendit, quisquis id de te tantum, quod fieri potest, credit.* Iam Pacatus haud procul abest ab adulatoria illa eloquentia. *Efficere, quae fieri nequeunt*, ne Dei quidem est, si ad viuum reseces. Sunt autem ista cum adiunctione sumenda.

§. XVII.

l) Hic in mentem nobis venit eorum quae Plinius c. 15. Traiani honoribus adstruxit: *Veniet ergo tempus, quo posteri visere visendumque tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quae refectiones tuas arbores, quae somnium saxa, praetexerint, quod denique tectum magnus hospes impleueris: vt tunc ipsi tibi ingentium ducum sacra vestigia, iisdem in locis, monstrabantur.*

m) Haec illum Plinii locum respiciunt, vbi malos illos Principes dicit *beneficiis suis commendationem ex difficultate captasse, gratioresque accipientibus honores arbitratos esse, si prius illos*

§. XVII.

Summus gradus.

Sensim vero de Principe suo tamquam de aliquo Deo loquitur. Nam c. 27. *Quum ciuibus*, inquit, *hostibusque*, *pari sorte*, *anni spatia diuiseris*, *et si qui forte sunt barbarorum*, *qui nondum virtutis tuae fulmen exceperint*, *nominis terrore perculsi et velut adflati* n) *quiescant. Tua enim auspicia*, *Imperator*, *non hae tantum gentes tremunt*, etc. At ista translata, nec proprie sunt intelligenda. Age sane, inquam. Quid, si adorat Imperatorem? Profitetur enim (c. 2.) *se illius virtutum admiratione ab vltimo Galliarum recessu ad contuendum Caesarem adorandumque properasse.* Quem cultum non esse necessario diuinum, vt concedam: attamen alio quodam loco esse, tam videmus, quam ea, quae oculis cernimus. Postquam enim orator (c. 6.) Theodosii formam corporisque dignitatem laudibus commendauerat, eodem addit capite: *Illud dicam: talem esse debere*, *qui a gentibus adoratur; cui toto orbe terrarum priuata vel publica vota redduntur; a quo petit nauigaturus serenum*, *peregrinaturus reditum*, *pugnaturus auspicium.* Quae sane mortalis locum et conditionem longe superant. Quid, quod hic ne appellatione quidem diuina Imperatorem suum honorare veretur. Siquidem non solum Numinis vocem adhibet, sed ei homines etiam, vt Deo, palam opponit. Namque c. 21. *Facilis adiri*, inquit, *e proximo accipis vota hominum tuorum: vt*, *quisquis ille consultor est*, *etiamsi meruerit*, *quod est rarum*, *repulsam; ferat tamen visi Numinis conscientiam.* Et sub finem panegyrici, *se*, ait, *adnuente Principis numine* o), *Senatuque fauente*, *dixisse.* Porro (c. 10.) *Quidquid homines*, inquit, *voca-*

los desperatio, et taedium, et similis repulsae mora, in notam quandam pudoremque vertissent. (c. 91.)

n) Vtramque translationem, poëtis maxime frequentem, Plinio, ni fallor, proximo nomine debet: qui tamen has voces ad notandam vim tyrannicam adhibet, (c. 90.) *se atque collegam suum a Domitiano stragibus amicorum et in proximum iacto fulmine adflatos*, dicens.

o) Sed illorum temporum consuetudo haec erat, quam negligere Pacato vix licuisse puto. Sic Eumenius (c. 2. extr.) *nec possit Fortuna*, inquit, *Numini tuo imputare, quod tuum est.* Quid? c. 22. Constantinum *praesentissimum Deum* vocat, eundemque c. 9. *inter Numina, vniuerso orbi colenda*, refert. Paribus Maximianum Herculeum honoribus adfecit adulator impudentior, Mamertinus. At iam olim Octauiano Aug. nautae acclamauerant: *per illum se viuere; per illum nauigare.* Vid. Sueton. Aug. c. 98.

vocamus laborem, vestra natura est. Loco autem eo, quem supra quidem attigi, de re arcana hunc dicendi modum adhibet: (c. 6.) *Tibi istud soli patet, Imperator, cum Deo consorte secretum. Illud dicam, quod intellexisse hominem et dixisse fas est: talem esse debere, qui,* caet. Vbi etiam illud; *cum Deo consorte,* notatu dignum est. Neque enim Imperatorem Deo, sed hunc Imperatori, secreti consortem esse dicit, eoque fere maiorem Theodosio dignitatem tribuere videtur. Eundem in modum, quin immo elatius, Iouem Caesareae maiestatis participem dicere audet: (c. 18.) *Tibi sacra mens tua, loco momentoque, quo iusseris, reddit omne depositum. Vtrum te tamen ipse admones, an, vt illi maiestatis tuae participi Deo feruntur adsistere Fata, cum tabulis: sic tibi aliqua vis diuina subseruit, quae, quod dixeris, scribat et suggerat?* Adeo neque hanc, siue sublimis eloquentiae, siue adulationis, partem neglexit imitator.

§. XVIII.

Alius adulandi modus, isque triplex. Genus primum,

Itaque istud genus, quod summo Numini non parum detrahit, vitiosissimum est: superest autem adhuc alia, eaque triplex, adulandi ratio, strictim a nobis notanda, paullo modestior illa quidem, attamen a vitio non omnino libera. Modo enim Principes suos panegyristae laudibus immeritis exornant, virtutes tribuendo, quarum contraria vitia illis adhaerebant; modo vera quidem, sed nimio plus argutantes, et ad taedium, de illis praedicant; modo suum quisque iactant omnibus, quicunque fuerint, Principibus virtute gloriaque praestare. Quorum vnum est falsum, alterum putidum, tertium, ne quid dicam grauius, anceps admodum et incertum. Primi vero generis aliquanto plura, quod mireris, in Plinio, quam Pacato, deprehendi. Nec tamen adferam, nisi praecipua. Ille igitur satis audacter, (c. 56.) *Quare,* inquit, *non alia maior, Imperator Auguste, gloria tua, quam, quod agentibus tibi gratias nihil velandum est, nihil omittendum est.* Nihil vero? Mox videbimus. Pergit autem: *Quid est enim in principatu tuo, quod cuiusquam praedicatio, vel transilire, vel praeteruehi debeat?* Sed non erat vita Traiani omnis expers maculae, licet satis bonus Princeps et verus Pater patriae esset. Nolumus tamen saepius hunc interpellare. *Quod momentum, quod immo temporis punctum, aut*

bene-

beneficio sterile, aut vacuum laude? non omnia eiusmodi, vt is optime te laudasse videatur, qui narrauerit fidelissime? Sed nonnihil vereor, ne fidelior narratio nec Traiano gloriae plurimum, nec praemii attulisset narratori. Verum fac, illorum nihil generatim, omnia esse de principalibus beneficiis et rebus praeclare gestis accipienda; quorum quidquam praetereundum aut dissimulandum esse gratias agenti, Secundus neget: tum nimis ambigue loquutum esse, quis negauerit? Esto autem, nihil sit illorum vituperabile: quid cap. 4. fiet? vbi eundem his verbis extollit: *Adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laederentur: at Principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum omnisque gloriae contigit!* Quin immo *castitatis* praeconium, quam *aliis affectatam, Traiano ingenitam et innatam, interque ea esse*, gloriatur, *quae imputare non possit*; num veritate nititur? Certe rumor quidam serpit non raucus, neque leui est ille suspicione turpitudinis adspersus; cuius tamen sit fides penes auctores, Dionem scilicet Cassium, et Spartianum, et Iulianum Augustum. Aliud vanae laudis exemplum offendit c. 55. pr. Edit. Schwarz. secundum alios 54. extr. vbi Panegyristes haec profert: *Quod ergo titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus aut saxis, nomen tuum, sed monimentis aeternae laudis, inciditur.* Porro pluribus, eodem capite, Principis *animum ambitionis contemtorem* celebrat; quum tamen ex Aurelii Victoris p) Epitome satis constet, qua de causa eum Constantinus Caesar *herbam parietariam* vocitauerit; quumque Ammianus Marcellinus (l. XXIV. c. 3.) eum dicta hunc ad modum quasi iurando firmare solitum fuisse tradat: *Sic in prouinciarum speciem reductam videam Daciam! Sic pontibus Histrum et Euphraten superem!* similia plurima in ore habuisse, addens. Ex quibus augendae potestatis gloriaeque nimis cupidum fuisse, adparet: nisi forte, quo tempore Plinius illa praedicabat, integer adhuc ab istis vitiis Traianus et incorruptus fuit. Sed, vt vt est, ipse orator non omnem ab hoc panegyrico detestatur adulationem, lib. VI. epist. 27. vbi, *Designatus ego Consul*, inquit, *omni hac, etsi non adulatione, specie tamen adulationis, abstinui: non tamquam liber et constans, sed tamquam intelligens Principis nostri.* caet. Quod ad Pacatum attinet, minus quidem is hoc in genere venit reprehendendus, quippe qui Principem laudauerit nulla fere labe

 con-

p) Qui in Theodosii vita non minus quam, gulae vinoque deditum fuisse, Traiani libidinem triumphandi notat, docet.



contaminatum, excepta iracundiae, quae mater extitit interdum crudelitatis, Thessalonicensibus in primis funestae. Ac nescio, an illius mansuetudinem et clementiam, aduersus Maximum eiusque sectam exhibitam, supra quam par esset, extulerit; quum ille hunc antea Collegam et Augustum ipse agnouerit.

§. XIX.

Genus secundum.

Sed ad secundum genus propero; cuius ex copia quidem exempla non nisi potissima itidem eligam, eaque iam ab aliis notata. Velut, quum illam Traiani liberalitatem Plinius (c. 38.) pluribus laudandam suscipit, qua in hereditate filii patri concesserat immunitatem, vicesimamque remiserat. Quo loco cel. Schwarzius ita censet: *In hac particula liberalitatis Traiani praedicanda Plinius fere nimius fuisse videtur. Quantillum enim beneficii Traianus contulit in populum Romanum, cum constituit, vt in hereditate filii pater immunis esset a vicesima soluenda; cum ante eum iam Nerua sanxisset, vt filius in hereditate paternorum bonorum frueretur immunitate? Equidem videas quotannis tot facile filiorum, quot patrum, funera efferri: at rarius in adolescentia, aut iuuentute, moriuntur filii, qui iam propria habuerint bona, quae transmittant ad patrem; rarius etiam in virili aetate e vita decedunt filii, qui non iam mariti ipsi suos relinquant liberos. Et haec forte causa fuit, propter quam Nerua non eandem constitutionem suae adiecerit liberalitati.* In eadem non iniqua sententia est Lipsius, qui Neruam, *naturae ordinem sequutum*, illud neglexisse, ait. Etiam in laudanda Traiani *recusatione consulatus tertii* Plinium fere *nimium* fuisse, Schwarzius fatetur. Et cui non idem videatur, c. 57. 58. et 59. perlegenti? *Quanta enim* (eiusdem illius Altorfini Editoris verbis vtor,) *quanta* igitur *ista moderatio, cum consulatum hunc non nisi in annum proxime insequentem distulerit, ac deinde nihilominus gesserit plures!* Rem denique veram, nec laude indignam, inepta oratione ornat, falsa quidem arcessita conclusiuncula. Sic enim (c. 46.) disputat: *Neque enim a te minore concentu, vt tolleres pantomimos, quam a patre tuo, vt restitueret, exactum est. Vtrumque recte: nam et restitui oportebat, quos sustulerat malus Princeps,* (Domitianus,) *et tolli restitutos. In his enim, quae a malis bene fiunt, hic tenendus est modus; vt adpareat, auctorem, non displicuisse factum.* Quam laudandi viam ille quem modo excitaui, dicit quidem ingeniosam esse, nihilo tamen secius in Baudii sen-

tentiam

tentiam ire se, fatetur, cuius ad hunc locum adnotata videas. Non minus fallaces mihi videntur duae quaedam ratiocinationes Plinianae, saltem incertae; quarum alteram inueni c. 68. pr. his verbis expressam: *Capis ergo, Caesar, salutis tuae gloriosissimum fructum ex consensu Deorum. Nam quum excipias, vt ita demum te Dii seruent, si bene rem publicam et ex vtilitate omnium rexeris, certus es, te bene rem publicam gerere, quum seruent.* Altera exstat c. 88. hunc in modum composita: *Iustisne de causis S. P. Q. R. Optimi tibi cognomen adiecit? Scias, neminem ante meruisse; quod non erat excogitandum, si quis meruisset.* Nam et poterat sapientia diuina, cuius ignotae sunt homini rationes, etiam eum Principem seruare, qui minus ex omnium vtilitate rem publicam rexisset: neque necesse est, vt Principes illud, quod mereantur, cognomen semper consequantur. Attamen haec non eo dico, quo perstringam; in talibus enim saepe quaedam sufficit veri similitudo: sed, quod faciunt ad ingenium eloquentiae Plinianae melius cognoscendum. Superatur autem ille, quantumuis licet in quibusdam exigui momenti rebus augendis copioseque ornandis nimius et interdum acutulus videatur, superatur, inquam, hac exsuperantia, vt fit, ab imitatore, qui in describendis maxime Theodosii victoriis, praeliis et itineribus fere historicum agit, singulis tamen amplificatis, et stilo subinde vel a poëtis mutuo sumto. Cuius redundantiae exempla, cuilibet, ipsum inspecturo, passim obuia, nihil opus est, vt congeram.

§. XX.

Tertium adulationis genus. Digressio ad Ludouici XIV. adulatores.

Aggredior potius tertium illud genus, quod me in ea ponere adulationis forma dixi, qua suum Imperatorem quouis eorum, qui ante regnauerint, Principum, vterque meliorem et laudibus digniorem esse, contendit. Quod quum aliquo tamen iure, saltem non sine adsensu publico, faciant, ipsorum est minor, quam plurimorum aliorum, hoc in genere adulatio. Sed qua ratione quisque hanc partem exornet, operae pretium est cognoscere. Plinius hanc viam ingreditur: (c. 88.) *Minus est, Imperatorem, et Caesarem, et Augustum, quam, omnibus Imperatoribus, et Caesaribus, et Augustis, esse meliorem.* Difficile semper est, talia prudentioribus probare: hic autem, quum totius ciuitatis, in primis vero Senatus, auctoritate, nitatur; tamquam fundamenti loco, Traiani cognomine vtitur, quod eum illius, quo summus Deorum honorabatur, admonet,

net, ad augendam sententiae magnitudinem sane percommodi. Quare pergit: *Ideoque ille parens hominum Deorumque Optimi prius, deinde Maximi, nomine colitur: quo praeclárior laus tua, quem non minus constat optimum esse, quam maximum.* Denique non inepte studet hanc gloriam Principi suo ita, tamquam propriam, vindicare, vt futuros etiam ab illius vsu quodammodo arceat. Subiungit enim hoc: *Adsequutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi, vt adpareat, in bono Principe alienum, in malo falsum; quod, licet omnes postea vsurpent, semper tamen agnoscetur, vt tuum.* Nihilominus his verbis Theodosium Pacatus (c. 1.) alloquitur: *Quum te semper vltra omnes retro Principes laudari oportuerit; nunc porro vltra, quam alias praedicatus es, in ea vrbe conueniat dicendo celebrari, caet.* Cuius laudis duo membra sunt. Prius, idque potius, omnibus, quotquot fuerint, hunc Imperatorem anteponendum, significat. Adulationem esse, negat quidem ad h. l. Schefferus, quum istum ipsi Traiano Aurelius Victor et Orosius q), historici, praeferendum iudicent: per me sit, licet, modo communis esse dicatur. Membro altero se ipso, vt ita dicam, praestantior et maior Theodosius declaratur. Sed ante hunc alii iam antelati fuere Traiano, a suo quisque laudatore. Sic Iuliani apud omnes caritatem celebrans Mamertinus, (c. 24. pr.) *nullum adeo* putat *post homines natos tanto generis humani ardore dilectum*, et Ausonius, Gratiani liberalitatem efferens, non minus eum Traiano, quam Antonino aliisque, hoc nomine anteponit. At hi sigillatim; omnino vero Nazarius, qui hoc elegit orationis exordium: *Dicturus Constantini augustissimas laudes, qui tantum vltra omnium saeculorum Principes eminet, quantum a priuatis ceteri Principes recesserunt.* Gloriosa profecto et fere superba comparatio; a qua non multum discrepat illa, quam, de Galliae regibus institutam, in Gregorii M. epistolis legimus: (l. V. ep. 6.) *Quanto ceteros homines regia dignitas antecellit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit.* Tantum contulisse de illorum adulatoria laudandi ratione sufficiat: quae, quamuis eloquentiae verae studioso fugienda sit, modica tamen, vel nihil propemodum, ad morem recentiorum temporum comparata, fuerit. Vix autem inueniatur quisquam Regum, quem palpata sit maior, vel poëtarum, vel oratorum, vel omnis generis scriptorum, copia, quam in Ludouici XIV. aures animumque, blanditiis et vanitate, influxit. Ex innumeris exemplis

q) Huius tamen rationibus multum tribuere nollem.

emplis non nisi vnum et alterum huc adferam, e quibus, quantopere ipsum illud aureum, quod vocant, elegantiae Gallicae saeculum assentatione corruptum sit, adpareat; ne tirones omnia tum temporis magnifice dicta pro vera captent altitudine. Quis non admiratus est vim breuitatis et sublimitatis illius versus, qui Versaliae Regis eiusdem statuae marmoreae inscriptus legitur:

Pace beat totum, qui bello terruit, orbem.

Hunc Bohursius, admodum difficilis alias ac morosus arbiter, tanti aestimauit, vt *eum instar totius alicuius panegyrici sibi esse*, scriberet r) Insignem triplici oppositioni venustatem inesse, negare non possum; nec *totus orbis* me offendit; quippe satis vsu tritum illud superlatum neque Romanis inusitatum est, et rei magnitudinem auget mirifice. Quare nihil deest optimo elogio, praeterquam veritas. Neque enim obscurum esse potest, in cuius pacis memoriam istud monumentum positum sit: in eius nimirum, ad cuius conditiones perquam duras, latas eas ab Anna victrice, Ludouicus, anno saeculi nostri tertio decimo, necessitate coactus, accessit. Huiusmodi fictae gloriae documenta Secundus in panegyrico non semel acerbe perstrinxit. Ludouici autem assentatores adeo non pepercerunt eius auribus, vt Regem, quum templum Argentorati primarium, vrbe capta pontificiae parti traditum, introiret, Franciscus Egon Fürstenbergensis, episcopus, illo Simeonis alloqui non erubesceret: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, caet. Sed qui erubesceret, Rege ipso, quoties ludis interesset scenicis, suas ipsius laudes, easque tragice nimium in modum exaggeratas, quibus fabularum prologi tumebant, vna cum ceteris canere non verente? s)

§. XXI.

Elegantissima laudandi ratio.

Quum vero pauci magnorum Principum sint, qui assentationem nimiam, quae certe liberales animos dedecet, ament, irrisionem existimantes; multi quoque tanti sint pudoris, vt ne veras quidem rerum gestarum et virtutum suarum laudes, nisi quibusdam inuolucris tectae celebrentur, aequis auribus accipiant: noua quaedam via inuenienda est, qua modestissimo cuique Principi gloriae suae splendorem ita ostendere queas, vt ne totus adpareat, nisi loco suo, caeterum tamquam per nubes

r) v. *la Maniere de bien penser dans les Ouvrages d'esprit*, p. m. 112.

s) De his vid. Keysleri Itiner. epist. 17.

nubes perluceat. Sed, vt rectius dicam, non inuenienda est: praeiuerunt enim ac munierunt eam vetustatis auctores probati; et, quamuis panegyristarum plurimos aberrasse ab illa, recte iudicet Bohursius t), Plinium tamen eiusque sectatorem ab ista plebe segregandos esse, puto. Animaduertas autem plura genera laudis illius delicatae, qua, tamquam aliud agendo u), scriptores elegantiores prudentioresque principes viros adfecerunt; quorum duntaxat vnum in praesenti adferam, ingeniosissimum illud quidem, quod partim nimiae libertatis et audaciae, partim reprehensionis atque indignationis cuiusdam x) speciem prae se fert; quo nostri duumuiri non inuita, quod aiunt, Minerua vsi sunt. Quantum, quaeso, libertatis illa Plinii spirant! (c. 36.) *At fortasse non eadem seueritate fiscum, qua aerarium, cohibes? immo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico, credis. Dicitur actori atque etiam procuratori tuo: In ius veni; sequere ad tribunal. — Sors et vrna fisco iudicem adsignat: licet reiicere, licet exclamare: Hunc nolo, caet.* Sed legatur totum caput. Non minus libere de salutationibus Traiani loquitur. (c. 48.) *Quum commodum est, conuenimus; et, admittente Principe, interdum est aliquid, quod nos domi, quasi magis necessarium, teneat.* Qui cogitauerit, quam depressa minutaque fuerit a Domitiano eiusque similibus Imperatoribus primi Ordinis auctoritas, is nouam hanc et feli-

t) Haec sunt eius verba, p. 150 seq. *Il est difficile, dit Philanthe, d'assaisonner si bien une louange, qu'elle soit reçüë, comme si ce n'en étoit pas une. A la verité, peu de gens s'y entendent, repartit Eudoxe, et la plûpart des faiseurs de panégyriques et d'éloges dans les formes y réussissent moins, que les autres.*

u) Huius generis etiam sunt laudes illae pulcherrimae, quibus Mamertinus Iulianum (c. 13.) ornauit.

x) Iustum Bohursius pretium ingeniosae doctaeque rationi statuit, (p. 151.) qua Ludouici XIIII. victorias extollit auctor Epistolae de Vita rustica. Nequeo mihi temperare, quo minus stomachosos illos versus perscribam:

Dieu sçait, comme les vers chez vous s'en vont couler,
Dit d'abord un ami, qui veut me caioler,
Et, dans ce tems guerrier et fécond en Achilles,
Croit, que l'on fait les vers, comme l'on prend les villes!
Mais moi, dont le génie est mort en ce moment,
Je ne sai, que répondre à ce vain compliment,
Et justement confus de mon peu d'abondance,
Je me fais un chagrin du bonheur de la France.

Omnino vero Gallorum ingenia mihi quasi facta videntur ad laudes arte moderandas. In primis epistolae Vecturii plenae sunt illa ingeniosissima oblique laudandi ratione.

felicem licentiam vero aestimabit pretio. Quam capite quoque 78. ineunte agnosces. *Quo iustius*, inquit, *Senatus, vt susciperes quartum Consulatum, et rogauit, et iussit. Imperii hoc verbum, non adulationis, esse, obsequio tuo crede.* Sed liberiores huiusmodi formulas, vt alias, ita hoc loco, verbis mitioribus et quibusdam blanditiis temperat; vt, etiamsi oratio paullo insolentior Augusto a primo visa fuerit, mox tamen animum, quo dicta sunt, cognoscat et amplectatur. Pergit autem: *Quod non alia in re magis aut Senatus exigere a* TE, *aut* TV *praestare Senatui debes.* Ad eundem porro magistratum suscipiendum, quam familiari modo eum (c. 59.) excitat! *Liceat experiri, an aliquid superbiae tibi ille ipse secundus consulatus attulerit.* Quibus verbis vigor quidam et alacritas inest, quam numquam satis admirari potui. Ab hoc non multum discrepat is loquendi modus, quo Patris patriae nominis, ab illo primo recusati, mentionem facit. (c. 21.) *Quam longa nobis*, inquit, *cum modestia tua pugna! quam tarde vicimus!* Hic victum a suis Caesarem, alio loco coactum, dicit. (c. 5.) *Recusabas imperare: — — igitur cogendus fuisti. Cogi porro non poteras, nisi periculo patriae et nutatione rei publicae*, caet. Quae hactenus attuli, tantum non omnia sunt pudoris et moderationis Traiani, ab oratore scite ingenioseque laudatae, exempla, quorum postrema, Principem vi aliena superatum esse, ita significabant, vt cessisse, ipsi esset gloriae. Non multo aliter de victa Theodosii clementia punitoque tyranno loquitur Pacatus; licet inter hunc et Plinium prior quidam et propior sit imitator interiectus, cuius ad formam orationis Drepanius composuit illa, quae c. 44. legimus. *Sed bene est*, inquit, *quod non omnia potes. Tui te vindicant et inuitum. Rapitur ergo Maximus ex oculis, et, ne quid licere posset clementiae, inter innumeras manus fertur ad mortem.* Videlicet eandem virtutem Constantini quoque laudauerat Eumenius, his verbis: (c. 20. extr.) *Sed, ignosce dicto, Non omnia potes. Dii te vindicant et inuitum.* Aeque placet ea libertas, qua Plinius caussam explicat, propter quam Traianus a suis ciuibus ametur. *Amamus quidem te*, inquit, (c. 68.) *in quantum mereris; istud tamen non tui facimus amore, sed nostri: nec vnquam illucescat dies, quo pro te nuncupet vota non vtilitas nostra, sed fides, Caesar.* Quo prolato paradoxo, cuius vim et audaciam Caesaris appellatio, in finem, excitandi monendique caussa, coniecta, mirum in modum auget, Plinium videre videor, sermonem paullisper intermittentem et Principem suum intuentem, vultu ad constantiam, cum alacritate quadam, composito. Et profecto, et haec ratio, nisi me omnia fallunt, ad excitandos tenendosque legentium

tium animos aptissima; quos quidem, postquam initio suspensos detinuit audaciae cuiusdam, et insolentiae specie, praeter exspectationem ad eum locum deducit, vbi Principis gloriam, quam obscuratum iri putabamus, in clarissima luce collocatam cum voluptate cernamus. Quo artificio Pacatus mirifice vsus est, (c. 23. pr.) Nam indignationem simulans, *Ne tamen*, inquit, *Imperator, existimes, cuncta me ad aurium gratiam loquuturum; triumphis tuis Galli, stupeas licebit, irascimur.* Ne vero diutius Principis exspectatio suspensa teneatur, addit continuo causam, ita quidem, vt victoriarum eius amplificationem fere tragicam immisceat. *Dum in remota terrarum*, inquit, *vincendo procedis; dum vltra terminos rerum metasque naturae regna Orientis extendis; dum ad illos primae lucis indigenas et in ipsum, si quod est, solis cubile festinas: inuenit tyrannus ad scelera secretum.* Quis non credat, Imperatorem, nec dum audita causa, tanta rerum a se gestarum exaggeratione delinitum esse? Attamen hanc rem non solam spectauit orator: contra, quae est Galli sollertia, duo, vt aiunt, parietes de eadem fidelia dealbare voluit. Excusandi erant ciues ipsius, quos Maximi abstulerant consilia praua. Nam eo facilius tyranno, qui Theodosii auctoritatem nouarum rerum studio callide praetendisset, fidem habuerant, quo longius ab iis remotus erat Princeps, ad vltimos Orientis fines progressus; vt errorem eripere miseris nequiret. Miserationem enim cum aliis mouendi rationibus perite coniungit. Sed ipse, si tanti videtur, legendus est *y)* Ceterum hoc in genere nihil mihi magis placet, simulatis querimoniis et expostulationibus. Quam blanda sunt ista Plinii! (c. 68.) *Queri libet, quod in secreta nostra non inquirant Principes, nisi, quos odimus. Nam si eadem cura bonis, quae malis, esset: quam vbique admirationem tui, quod gaudium exsultationemque deprehenderes! quos omnium cum coniugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque sermones! Scires, mollissimis illis auribus parci.* Similem Principis, qui rerum summam accipere noluerat, caritatem illa Pacati loquuntur: (c. 11.) *Expostulari hoc loco tecum, Rei publicae verbis, necesse est, quae, in summam tua cunctatione formidinem a media spe relapsa, tali aliqua te profecto, sed quam solus audires, voce conuenit.* Iam sequitur suauissimus atque blandissimus Rei publicae sermo. Quam orationis figuram intuentibus, quomodo eius audacia temperetur, animaduertere licet. Expostulat igitur cum Principe orator, sed necessitate compulsus; neque suis, sed rei publicae verbis; quae non morose, sed quasi mater amantissima, et ea in extremum discrimen adducta, cum vnice dilecto filio, in quo spem omnem suam collocauit, conqueritur. Illud porro, *sed quam solus audires*, quantum reuerentiae, circumspectionis et amoris ostendit! Quod ad ipsam sermocinationem attinet, non potest esse dubium, quin potiorem eius inuentae partem illi Epithalamii auctori debeat, qui (c. 11.) Romam pari modo cum Maximiano conquerentem induxit.

Sed de his videor satis dixisse. Restat quidem alia ingeniose laudandi ratio: quum vero ad argutias magis vtriusque oratoris pertineat illa, quam ad sublimitatem; alio tempore mihi differenda erit.

y) Non minus eleganter Constantini virtutem militarem, pericula negligentem, Nazarius, reprehensione simulata laudat, (c. 37.) Laudibus enim filii Caesaris haec subiungit: *Nunc te, Constantine maxime, omnes rogamus, — iterum atque iterum moneas reuertentem, (neque enim facile persuaderi potest) vt — sit ille animo, sit consilio tui similis: temperet modo dextrae, manui parcat, et sit aliquid quaesitum, in quo te iterum nolit imitari.* Quis laudem belli ducum, fortitudinem suam isto modo carpi, aegre patiatur?